

JACOB BALDE

ANTAGATHYRSUS (1858 vers)

ANTAGATHYRSUS SIVE APOLOGIA PRO PINGUIBUS, CONTRA MACROS.  
AD BONAMICUM PANTALEONEM.

- A1 v.1 Sol oritur. Noctis vos spectra facessite, Macri,  
2 et quibus affines estis, cum tristibus umbris  
3 cedit lucifugae. Cedit jam noctua, cedunt  
4 bubones, Lemuresque. Dies se reddita solis  
5 pinguibus infundit. Macilentis debita nox est.  
6 Qualis se Titan e gurgite tollit Eoo  
7 cristatus radiis, pleno nitidissimus orbe,  
8 ridet ager, rident horti, collesque supini,  
9 et pronae valles, silvaeque, apricaque saxa.  
10 A reduci totus renovatur sidere mundus.  
11 Talis ubi roseos vultus ostenderit ; omnes  
12 vel solo aspectu laetos facit Antagathyrus.  
13 Verum corpus adest ; pleno quoque lumina vultu  
14 implet, et expressa pietatis imagine mulcet.  
15 Ridet convivae, rident praecordia ; ridet  
16 mensa mero. Saliunt venae, laetantur amici.
- A2 v.1 Cui placeat vacuum ? Naturam horrere videmus,  
2 quodcumque est : contraque armatur, militat, arcet ;  
3 turbatur vim passa ; suisque elementa resolvit  
4 nexibus. Ascendunt lapides, et habentia pondus,  
5 amittunt. Tamquam pennis librantur in altum,  
6 inque sinum Terrae descendit Pontus, et aer.  
7 Quodque est prodigio majus ; fit plumbeus ignis,  
8 inferiorque ruit ; quamquam contrarius ordo est,  
9 dissiliunt mediae rupes, franguntur et aera,  
10 ceu bullae, durante vitro. Natura repugnat,  
11 et vacuos etiam refugit, mihi credite, vultus.
- A3 v.1 Luna micans, toto gratissima fratre recepto est.  
2 Ast ubi fulgor hebes cornu vanescit inani ;  
3 currunt Aemoniae matres, et cymbala pulsant.  
4 Macca soror Thraseae, nuper desponsa Fritillo,  
5 post aliquot menses, vultu quam deside, quamque  
6 exhausto spirat ! Pelves miseranda canoras  
7 poscit in auxilium ; ne tota ecliptica fiat.
- A4 v.1 Istri Pegasides, paullo majora canamus  
2 dicite Macrorum (nam vos memorare potestis),  
3 ortum et progressum ; prima incunabula sectae.  
4 Aurea cum primis radiaret solibus aetas ;  
5 nullus in orbe Macer fuerat : neque Pallor et horror,  
6 nec tabes, pecorumve lues, vel anhelitus aeger ;  
7 nec steriles baccae, neque culmus inanis in arvis.

- 8 Pinguibus almus ager late canebat aristis.  
 9 Pinguibus undabat vindemia larga racemis.  
 10 Pinguia Niliaci sudabant balsama trunci.  
 11 Pinguia pascentes tendebant ubera vaccae.  
 12 Corpora Terrigenum vivacia, dignaque visu  
 13 omniparens Tellus nixu produxit eodem ;  
 14 paulatim minui coeptum defecerat aurum,  
 15 defecere dies flavi, tempusque Gigantum ;  
 16 membraque deterior fluxus contraxit in arctum.  
 17 Viderunt primos argentea secula Macros :  
 18 non tamen horrendos visu, gravidisque timendos.  
 19 Corporibus fractis aliquid decesserat oris ;  
 20 sic tamen, ut possent expertia fraudis amari.  
 21 Postquam Astraea fugam secuit per nubila ; fugit  
 22 forma quoque, et solidi majestas corporis una.  
 23 Cum forma fugere Pudor, Candorque Ruborque,  
 24 et quidquid plenum est ; et frontis amoena voluptas.  
 25 Inque locum Macies rictus exserta caninos,  
 26 cumque fame damnata sitis, vapor, atraque bilis,  
 27 et morbi subiere ; animalque, quod hectica febris  
 28 dicitur, et putri fixa in pulmone teredo.  
 29 Supprime Musa, precor, funestum supprime nomen.  
 30 Vel sonus auditus trifido prae fulmine terret.  
 31 Haec viscosa lues, Athalia, Fulvia, Clotho,  
 32 Phthi. Sed enim sileo : Macrorum haec ultima pausa est.
- A5 v.1 Vix adeo Macies dirum caput intulit orbi,  
 2 funereae volucres gemuerunt carmine rauco.  
 3 Aligeri mures aucti ; bubonibus aer  
 4 repletus ; plausere suis Nycteides alis.  
 5 Vipera mox nocuit morsu ; nocuere voraces,  
 6 exosique lupi ; scabies vastavit ovile.  
 7 Invasit subito tabes jumenta, gregesque ;  
 8 intactosque prius porcos porrigo necavit.  
 9 Fertile quid possit Macro sub Consula nasci ?  
 10 Si similis gaudet simili, ut proverbia dicunt ;  
 11 quae seges, aut pinguis respondeat uva colono ?  
 12 Quem sibi dissimilem Pater aversatur Iacchus :  
 13 aversata Ceres ob causam illudit eandem.
- A6 v.1 In probrum vergit natura sequentibus annis.  
 2 Incrementa Macris totum minuentia corpus,  
 3 praebuit arcta specus Stoa, Zenonisque fimetum.  
 4 Tradita fetendi docte sessoribus ars est  
 5 Socratis in crypta : cum quo Dis saepe locutus.  
 6 Ex horum stabulis Macies gibbosa, tremensque  
 7 prodiit, et potuit saltem sapuisse videri.  
 8 Prisci mortales olim viri, poteratque colossus  
 9 eminus agnosci : seu staret, sive jaceret.  
 10 Cumque salutarent sese ; data dextera dextrae  
 11 personuit : sic, ut resiliiret in aere plausus.  
 12 Laudabatque suam genitrix Germania prolem,  
 13 qualem Lechus adhuc, et plana Polonia gignit ;  
 14 quique alii populi gelidam vertuntur ad Arcton.  
 15 Quantula, pro Superi ! Jam nunc corpuscula dantur !  
 16 Quam graciles digiti, quam vani pumiliones !  
 17 Dimidii vultus, hominum monogrammata tantum,  
 18 effigies potius ceratae, et buxea signa.

- 19 Vix oculos incurtura, et vix digna videri.  
 20 Garsi (nonne vides ? ) haerent quasi pendula membra  
 21 ex unco locus est ventris pro ventre Marillo  
 22 pene vitris opus est, ut coram denique cernas  
 23 sitne hominis verum corpus, vel linea simplex.  
 24 Prae tamen archetypo depascitur omnia brucho.  
 25 Forma virum solidaeque decent in corpore vires.  
 26 Hoc Natura probat. Nihil esse potentius, atque  
 27 utilius scimus ventis : seu carbasa tendant,  
 28 seu pluviam inducant fecundam, aut aethera purgent.  
 29 Nunquam pinguntur graciles. Notus esse fatetur  
 30 acrius tubicen, Zephyroque valentior Eurus.  
 31 Robusto gaudet rapta Orithyia marito,  
 32 jam conjux Actaea ; suoque Aquilone superbit.  
 33 Pinguntur graciles Parcae : (quid anilius istis  
 34 lanificis ? ) ut et Eumenides materteraque harum.
- A7 v.1 Schoenobaten, et qui plebeius agyrta petauro  
 2 ludit : et Anglorum saltantem more, choreuten,  
 3 et graecum Aethiopem, toleres, agilesque, levesque.  
 4 Dum captant populo muscas. Ad publica nati  
 5 munia praetores habeant spectabile corpus,  
 6 tale quidem, ut possint sublimi in sede videri.  
 7 Consul honoratur, qui factus honorat honorem.  
 8 Quid facit in sella lacrimabilis umbra curuli ?  
 9 Imperium sua forma decet, formamque potestas.
- A8 v.1 Scilicet Alcides, et qui se fortibus armis  
 2 semideos caelo dignos, et sanguine Divum  
 3 esse probaverunt : magno Telamone creatus,  
 4 et Laertiades, et ductor regum Agamemnon,  
 5 Aeacidesque, Anchisiadesque, et Troius Hector  
 6 in modicos artus Macri fluxisse leguntur !  
 7 Contemptor Divum fuerit Mezentius : atque hunc  
 8 venerit Aeneas contra, verba aspera miscens,  
 9 et simul arma. Manet tamen imperterritus ille  
 10 hostem magnanimum opperiens, et mole sua stat.  
 11 Mole sua. Nulli macilenti mole sua stant.  
 12 Nam perhibent uno Zephyrum, leve pondus in auras,  
 13 basiolo (nec sartor erat) difflasse Philetam.  
 14 Tantus erat. Tityum non sic citus auferat Auster :  
 15 ter tria porrectum in praepinguia jugera corpus.  
 16 In Pallante probant immania pondera baltei  
 17 immanem truncum. Saxum circumspicit ingens  
 18 Turnus, et antiquum ; jacuit qui limes agrorum ;  
 19 et jacit. Hoc nullus macer a tellure levasset.  
 20 His missis, venio Fastos propioris ad aevi.
- A9 v.1 Carolus Augustus, tam re, quam nomine magnus,  
 2 exhibuit magnum corpus, validosque lacertos,  
 3 in "Crassum" frustra strinxisti ferrum Agathyrse.  
 4 Tu vitio vertis, quod laudi ducit obesus.  
 5 Tu probrum censes, quod nostri gloria Crassi est.  
 6 An non Rudolphos canit, Albertosque, gravesque  
 7 fama Sigismundos, et Ahenae fulmina Barbae ?  
 8 Isti Caesareas digne implevere coronas.  
 9 Ex oculis reges, ex vultu sceptrum notasses.  
 10 Ad famam prodest populum perstringere pompa,

11 promptius obsequio ducis ut mandata capessat.  
 12 Quod faciunt pingues praesentius. Inde resultat  
 13 mixtus amor terrore, et terror mixtus amore.  
 14 Est, ubi contemptum Macies vel ab aethere lapsa,  
 15 argentoque nitens parit, et circumdata gemmis.  
 16 Nosti, Pantaleon, Rapicellum Saxone natum,  
 17 quem sua quantumvis jam lustrum Mater agentem  
 18 impositum calatho, dum laetabantur amici,  
 19 intulerat mensae ludum factura jocosum.  
 20 Post tamen in longum crevit subeuntibus annis,  
 21 sed nihil in latum. Propior monstro esse videtur.  
 22 Illum, age, tu cocco Tyrio, et Sidonide lana  
 23 involve. Exorna ; totum fac Sardonychatum.  
 24 Torque humeros, sceptroque manus, caput excole mitra ;  
 25 aedificaque novum ; tanto mage feceris illum  
 26 ridiculum. Ex ficu formatus stabit, ut Hermes,

A10 v.1 Propterea et falsis dederat diis cauta Vetustas  
 2 praegrandes artus, divosque decentia membra.  
 3 Turget enim Bacchus, crudescit sanguine multo  
 4 luxurians Mavors, juvenem Cyllenius ales  
 5 purpureum praefert. Primus quoque Juppiter ambas  
 6 inflat apud Flaccum buccas, pelagoque secundus  
 7 ingens assurgit, quoties ciet aequora fundo  
 8 aut classem Iliacam vertentes increpat Euros.  
 9 Venatrix Diana cavis in vallibus errat ;  
 10 attamen ipsa cavas valles in vultibus odit.  
 11 Qualis in Eurotae ripis, et Oreadas inter,  
 12 quam saturo fulgore genas incensa vagetur ;  
 13 quis nescit ? Nullam patitur macrescere Nympham.  
 14 Torva quidem Pallas, sed non macilenta virago,  
 15 brachia protendit tumidis luctantia venis.  
 16 Scires ex cerebro Jovis esse, et nectare natam,  
 17 nemo ex diis macer est, praeter communia silvae  
 18 numina, capripedes Faunos, et Pana salacem.  
 19 Hos amor emaciat, Venerisque insana libido.  
 20 Vos gentes moneo varia ferrugine tinctas,  
 21 fervida quas calido posuit Natura sub axe.  
 22 Corpora si multos florescere vultis in annos,  
 23 spicula torquentem vitate Cupidinis arcum.  
 24 Vulnus alunt venis, et flammae viscera carpunt.

A11 v.1 Nullus inops adeo mentis, sanctique decori,  
 2 virtutem facie squarrosa ut pingeret ullam.  
 3 [Squarrosa dico. Verbi est Lucilius auctor  
 4 Oscus, et ad nostras pervenit Cascus hic aures.]  
 5 Religio, Pietas, Constantia, Paxque, Fidesque,  
 6 Virginitas, veneranda Themis, Patientia vernant,  
 7 utque rosae, Austriaco luctantur molliter ore.  
 8 Sola genas tristes, scissis Metanoea capillis,  
 9 exhibet in luctu, tamen haec quoque pinguibus ora  
 10 humectat lacrimis, ac ne sit sicca, rigatur,  
 11 lotaque rore suo pulchrum facit ipsa dolorem.  
 12 At vitia aspicias, tamquam ferale catharma.  
 13 Medeas referunt. Discordia pingitur amens,  
 14 foeda genas, crines, vestitum. Turpis Egestas,  
 15 terribiles visu formae Letumque, Laborque.  
 16 Ambitio squallet, tetrus exercita curis.

17 Mordetur, mordetque suos furiosa labores ;  
 18 suppliciumque suum est. Livor se eviscerat ipsum.  
 19 Fraus, Dolus, Ira, Timor, fera Desperatio, Curae  
 20 distortas porgant facies, obscaenaque rostra.

A12 v.1 Invidiam exsanguem, quia solis pascitur hydris,  
 2 lurida vipereo faciunt alimenta colore.  
 3 Pallor in ore sedet, Macies in corpore toto.  
 4 Nusquam recta acies. Vis jam committere pingues  
 5 cum Macris ! Fas sit, non dissimulamus agonem.  
 6 Quid nostrum incusas Bascaudum, si bibit urnam,  
 7 et capit exhaustam ? Saltem non invidet ulli,  
 8 graecatur potat, foetetque Trimalcio, sed non  
 9 invidet. Aurunci nota est lascivia, sed non  
 10 invidia. Armenius praeceps descendit in iram,  
 11 sed non invidiae stimulis agitatur amaris.  
 12 Goffonis madidi totae sunt orgia noctes ;  
 13 sed, quando invideat, quaero. Salit, atque trapeta  
 14 Huppius assiduo pulsatur ; quando Huppius autem  
 15 invidet ? Est ventris studiosus, et ebrius Ilco,  
 16 lentus, iners, piger, ignavus, sed an invidus unquam ;  
 17 uxorem Titius furcis rabiosus abegit ;  
 18 sed nunquam audivi Titium invidisse maritis.  
 19 Invidia nihil est funestius. Haec scelus omne est.  
 20 Immunes hujus, quamvis ceu nocte latrones  
 21 consurgant, cellis, oculis, thalamisque molesti ;  
 22 haut ego desperem melioribus emendare  
 23 consiliis ; atque a diris avertere coeptis.  
 24 Quem semel aerugo livorque exedit, et ussit ;  
 25 luctibus immoritur. Spoliatus munere vitae  
 26 vivit in exitium. Frustra conabere tactam  
 27 hac labe Aglauron, veniat licet ipsemet Hermes,  
 28 affari, et fibris hamatas vellere sentes.  
 29 Invida non cedit diis, desponsaeque sorori.  
 30 In limen prius, et silicem mutabitur atram.

A13 v.1 Doliolum fragile est humanae portio vitae.  
 2 Ceu mustum (sed non sine faece) Puertia vivax  
 3 prima salit. Sequitur florens ac laeta Juventus ;  
 4 spumat adhuc de fonte tamen. Nat spiritus intus.  
 5 Aestuat, et bullit vinum hoc juvenilibus annis.  
 6 Aetas ex medio testae, quasi ventre, virilis,  
 7 profluit, utque merum, collectis viribus exit  
 8 fortius, ac venas animoso sanguine replet.  
 9 Posterior stillat non defaecata Senectus  
 10 amplius ; et chiragram secum trahit, atque podagram.  
 11 Mors latet in fundo, macies est proxima vappae.  
 12 Omnia sunt hominum tenui pendentia filo ;  
 13 [vates, qui tantum non pene pependerit, inquit.]  
 14 Macrorum, nicas. Nam quid tenue est magis illis,  
 15 scilicet expertes morborum ; ut carmina dictant  
 16 Delphica proluvies immo torrentior urget.  
 17 Pluribus agmen inest. Quos febris acutior urit ?  
 18 Macros. In quorum Sphacelus ruit ossa tremendus ?  
 19 Macrorum. Cujus latus hasta crebrius haurit  
 20 pleuritis fodicans ? Macri. Quos improba tussis  
 21 saepius infestat ? Macros. Quos saevius angit  
 22 icterus ? Ut dixi, Macros in felle natantes.

- A14 v.1 Haec mala transirem, quia publica : praeterea sunt  
 2 depyges ; semperque dolent, semperque queruntur.  
 3 Ut sedeant bene, pulvillis opus est tribus, aut sex.  
 4 Affer adhuc unum. Sed et infra sterne tapetem.  
 5 Subice et Empusae plumas, et vellus olorum.  
 6 Mollius invenies in laeva parte cubilis  
 7 pulvinar. Quaeso, adjungas et molle theristrum.  
 8 Dum probat, et mutat ; nova jussa, precesque sequuntur.  
 9 Credas mandari suprema negotia belli,  
 10 militiae vestes, tentoria, castra parari.  
 11 Quanto opus est sumptu, quis sudor, posse sedere ?  
 12 At Marcus Crassus sua pulvinaria secum  
 13 fert semper. Quocumque loco prosternere membra  
 14 contigerit ; velut in thalamo, spondaque quiescit,
- A15 v.1 Omnes debemur post Fatum vermibus ; omnes  
 2 jure sepulcrali serpentibus esca paramur.  
 3 Sed Paulus Nasamon, Petro Nasamone creatus,  
 4 incipit, ante necem, steriles praecerpere fructus  
 5 mortis, et eroso tineas ostendere vultu :  
 6 inter semineces, nunquam, semperque sepultus.  
 7 Luridus aspicitur, faciemque exporrigit Hoppe  
 8 quam liber antiquus, deformatumque volumen  
 9 Marrodii, toto quod nec semel inspicit anno.  
 10 Et tamen in medicis vult Aldrovandus haberi.  
 11 Suffla. Galeno non sufficit, Hippocraticum,  
 12 esse macrum, et tereti venas tentare manu. Quin  
 13 immo observatum : pingui felicius artem  
 14 cedere, et in morbos grassarier amplius amplum.  
 15 Morbus pejorem morbum cur cedat habenti ;  
 16 ergo prius pellat maciem, repleatque lacunas.  
 17 Quam miserum est, fieri funus, vivumque, vidensque.  
 18 Hinc Perlamottus macer, aut fit fabula vulgo,  
 19 aut terror pueris, aut occurrentibus omen  
 20 matribus, aut anni votum fraudantis imago.
- A16 v.1 Excute Naturae sensus, humentia siccis,  
 2 fortia debilibus, macilentis pingua praefert.  
 3 Ut ne Marmarica memorem de stirpe leones,  
 4 immanesque feras ; quarum non usus in urbe,  
 5 vel campo est ; tamen has ipsas laudare solemus,  
 6 sub visum ductas, quando nil corporibus deest ;  
 7 spectamusque hilares peregrini sanguinis Afrum,  
 8 flavum colla jubis ; amplumque in pectore pondus.  
 9 An non delectat toto magis ore Britannus,  
 10 Arcadicusque canis, Lacedaemoniusque melampus,  
 11 quam lacerus siquis demittit flaccidus aures.  
 12 Spadix mulcet equus, quem subrigit ardua cervix,  
 13 argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga,  
 14 luxuriansque toris animosum pectus. In hujus  
 15 crebrior exsultat volucris victoria tergo.  
 16 Qualis Amyclaeo domitus sub Castore, frenos  
 17 infecit spumis. Ducentes ilia confer,  
 18 et macie ruptos. Nempe aversamur ineptum  
 19 segnipedem, dignumque molam versare nepotis,  
 20 sanctius his animal, mentisque capacius altae,  
 21 solus homo placeat miser, imperfectus, inanis

22 umbra, carens forma ; rudis, indigestaque larva.  
 23 Circulus in justo vultu, quia sphaera, figura  
 24 perfecta est, decet ; atque virum consummat, et ornat  
 25 vix ab adumbrata Centronius icone differt :  
 26 tam cavus, ac vilis. Sed Quarantonus imago est,  
 27 qualem Belga Rubens ducebat corpore toto  
 28 extantem. Tenuis Gagus est Smiseckius aeri  
 29 incisus. Possis interdum quaerere, quid sit ?  
 30 Mus an equus ; lupus, ane lepus ; lepus, ane lagopus.

A17 v.1 At non strigosam pecudem mactavit ad aram  
 2 numen Abel venerans, Mundi pars quarta recentis,  
 3 sed teneros haedos. Ovis optima sanguine saxum  
 4 tinxerat. Hinc placitus penetravit in aethere nidor.  
 5 Sacrificus laudatur adeps, et in osse medulla.  
 6 Pinguis. Abel justus : Macri, de stirpe Caini.  
 7 Consule Romulidas veteres. Meliora suis diis  
 8 obtulerant, quoties caelesti sulphure tacta  
 9 culmina templorum : Tybris mutaverat alveum ;  
 10 sanguinei cecidere angues, aut saxeus imber ;  
 11 victima procubuit Junoni taurus opima.  
 12 Ipsum etiam voluere popam non esse caducum,  
 13 certius ut vitta bovis inter cornua vincti  
 14 ante Deos caderet dextra librata securis.  
 15 Haec lex sancta Numae. Quo ritu nempe Quirites  
 16 allicere ad Sacrum, non absterrere, volebat.  
 17 Turpe cava facie ringens ante ora sacerdos.  
 18 Turpe macer scalptus vacuis, ut simia, rugis :  
 19 debilis in fano tremulis consistere plantis.

A18 v.1 Sed jam relliquias Danaum, et sapientis Ulysssei,  
 2 ossaque post mortem jactant reverenter haberi,  
 3 cum caro putrescat. Medicina potentior herbis  
 4 omnibus, et Phariae regionis Mumia donum,  
 5 exsiccatus homo, terraque, marique probata.  
 6 Obruimur. Vivas felixque Agathyrse triumphes.  
 7 Huc igitur ventum est, ut inane cadaver, et unctum.  
 8 Ut nobis etiam laudetur Mumia ! Nobis  
 9 ut Pelusiacas commendet navita merces,  
 10 et verpus myropola suas ! Damnare Canopi  
 11 dona supersedeo quid si meliora reponam  
 12 munera, naturae liquidis de fontibus hausta ;  
 13 non est in medica quidquam praestantius arte,  
 14 quam stillans humanus adeps. Quid Mumia dicis ?  
 15 Ossa canes rodunt. Si non pretiosior esset  
 16 his caro nunquam illud triste accineretur, ad offam  
 17 festinate viri. Sero venientibus ossa.  
 18 Culta tamen fulgent, et fragrant ossa piorum.  
 19 Quis negat ? O utinam studio et flagrantius omni  
 20 intendatur honor. Quid ad impia dicitis ossa ?  
 21 Infami certe demptis de stipite factus  
 22 annulus induitur, magicosque adhibetur ad usus.  
 23 Plura petis ? Vestris ex ossibus alea pernox,  
 24 orbatura viros, atque orbatura parentes  
 25 conficitur. Matres uxoresque alea cogit  
 26 ad lacrimas, laqueumque, et non innoxia verba ?  
 27 Quid Veneris pecten ? Quid acus crinalis ? Et ossa  
 28 haec nebulonis erant quocumque sub aggere functi.

- A19 v.1 Istri Pegasides, paullo majora canamus.  
 2 Crede mihi, infida est macies, Pinguedo fidelis ;  
 3 vultus opimorum nullum gerit ore Sinonem,  
 4 ultro fassurus ; quod non ex aere vivat,  
 5 quod pulpam perdicis amet, quod pultibus aprum  
 6 praeferat, et vapidis spumosa tomacula pisis.  
 7 Sed datur enormis macilentus hypocrita, qui post  
 8 absumptos septem tauros, ipsumque Milonem,  
 9 extenuat faciem ; quasi tantum gustet eremum.  
 10 Rectius adversum Caci rapiendus in antrum.
- A20 v.1 Quis ferat haec ? Magno stridens Agathyrsus hiatu,  
 2 Franciscos jactat, claraque in valle sedentes  
 3 Bernardos, et monticolas nemorumque colonos.  
 4 Laudo et ego. Da, qui gemat, ostensa dape ; da qui  
 5 pransurus signum Campani ploret ad aeris.  
 6 Qui totos menses exegerit absque canistro.  
 7 Sed vos aequatis, si non et vincitis ursos,  
 8 cumque minore Ursam majorem, Parrhasin Arcton,  
 9 atque adeo plaustro quidquid vectatur eodem.  
 10 Laudatis caepas, et deglutitis ovile.  
 11 Centum verveces media non amplius hora.  
 12 In barathrum ventris totas demittitis aedes,  
 13 atque focos ; mensa cum vaticinantis Iuli,  
 14 et mappa Hermogenis. Nullas habet haec gula metas.  
 15 In tales stomachos cervi cum matribus intrant.  
 16 Atque illis etiam, quae non sensere tonitru.  
 17 Et tamen introrsum facies agitur miseranda.  
 18 Ede : canina fames dicenda est, ane lupina ?  
 19 Bos, cedo, Agenoreus, si bos, Deus ille deorum,  
 20 a Jove in Europae raptum formatus, adesset  
 21 (certum est, non macri bovis assumpsisse figuram).  
 22 Parceret huic Lisamas ! Lisamas huic parceret ! Ille  
 23 depeculator atrox, totum cum cornibus albis  
 24 devoret impatiens, et saeva in viscera condat.  
 25 Nonne hoc est Curios simulare, et Fabricios, et  
 26 frugales Fabios, sed vivere Maecenatem !
- A21 v.1 Quorsum autem hi sumptus ? Equidem convivia in ipsis  
 2 pinguibus apparent : alimentum in corpora transit,  
 3 et loquitur facies epulum rite esse peractum.  
 4 Helluo Labruscus, Scyllamque, ipsamque Charybdin  
 5 vincit, et expleri nequit alta vorago vorando.  
 6 Non, etiam Romanus eques si Curtius intret,  
 7 descensu coeat nunquam satiabilis alvus.  
 8 Noctes atque dies patet atri janua Ditis.  
 9 Tanta fames fuerit fortasse Erysichthonis olim  
 10 sacrilegi cui causa cibi cibus extitit ipse.  
 11 Tu tamen ignores, licet observare labores :  
 12 traiciatne dapes, an subter scamna cadat daps.  
 13 Nil etenim servat, (fraus intestina) nec in se,  
 14 quamquam avide vescens, macilenta ciconia vertit,  
 15 sic oculos vulgi cum fascinat, integra feni  
 16 plaustra, rotas, et equos, magus absorbere videtur.
- A22 v.1 Audi Trararam Caenum, quid sentiat. Audi  
 2 Trararam Ciscum fratrem ; si conjuge, dicunt,



3 abstinet eunuchus, cur non macer abstinet esca ?  
 4 Fructus utrimque perit, neque causa apparet edendi.  
 5 Vastatur tantum penus, atque alimenta dehiscunt.  
 6 Nullum corpus alunt - sic nomen deficit ipsum.

A23 v.1 Ut longa assuescit longis anguilla colubris,  
 2 sic macri quidam similes errantibus umbris  
 3 ire sepulcorum, cumque his habitare feruntur.  
 4 Ergo, sufficient quae ventre carentibus escae ;  
 5 festivo referam ostento. Monstravit Apollo :  
 6 quique meum juxta Morpheus latus adstitit albus.  
 7 Dum feror in somnos ; meque alta poetica nubes  
 8 obsaepit : vidi mira, aut vidisse putavi.  
 9 Fas vidisse fuit ; fas sit mihi visa referre.  
 10 Lucus erat, piceisque frequens, atque ilice densa,  
 11 in medio taxus, taxoque adjuncta cupressus ;  
 12 utraque sacra piis, dilecta et Manibus, arbos.  
 13 Haut procul obscuras volvebat rivulus undas,  
 14 Cimmeriis similes ; nisi quod fulgore superno  
 15 percussae fugerent, divexarentque lapillos.  
 16 Cornua crescentis Lunae non tota coibant.  
 17 Tertia pars orbi plenam factura triformem  
 18 deerat adhuc. Tacitos peragebant sidera cursus.  
 19 Cum Dea pulsatis circum Libitina sepulcris,  
 20 excivit Manes ad amicae gaudia noctis.  
 21 Ter deni exciti, Parcibus comitantibus, ibant.  
 22 Duxerunt choreas conserti brachia mutas.  
 23 Nullos audisses cantus citharaeve, lyraeve.  
 24 Exiles strepitus edebant ossibus ictis  
 25 ad certum numerum. Qui mos levibus pueris est,  
 26 quum digitis crepitant collisis ; seque lacessunt  
 27 lusuri nodis plaudentibus articulorum.  
 28 Obstupui : Maciesque mihi velut inclyta duci  
 29 sponsa choro visa est nec me fallebat imago.  
 30 Ducebatur enim pallens, levis, ossea Nymphæ.  
 31 Insoliti hinc motus umbrarum, atque otia calvis.  
 32 Mensa parabatur congestis sandapilarum  
 33 fragminibus : positam menta extersere virenti.  
 34 Quam simul instrata funebria lintea mappa  
 35 texerunt ; accumbendi data plena facultas.  
 36 Ecce sepulcrali cinis apportatur in urna,  
 37 [credo, vicem conchae salis] in medioque locatur.  
 38 Tum Mare [vas ingens] repletum follibus aneum.  
 39 Pluribus in vasis demessa papavera vidi.  
 40 Herbarum viguit superadditus usus earum,  
 41 de quibus expressum nox intempesta soporem  
 42 colligit, in speciem solitum coalescere lactis.  
 43 Fercula praeterea nulla aspicienda dabantur,  
 44 praeter funerea nebulas caligine mistas  
 45 grandibus in pateris, et plenos aere discos.  
 46 Pocula sunt calvae, sumptusque infunditur humor  
 47 gurgite Lethaeo, spumis obliviae miscens.  
 48 Omnia olent tumbas, et cespitem, et aethere cassum  
 49 corpus, et ambustum gramen, bibulamque favillam.  
 50 Mireris mores simulacra minora ministrant  
 51 Summano ; majora sedent. Procul esse jubentur,  
 52 vertice de quorum nondum est fatalis ademptus  
 53 crinis, quod Nisi coma, Didonisque probabit.

- 54 Permissus tamen est vespillo Diaulus adesse,  
55 atque aliquot medici, quos clarat fama creandis  
56 Manibus insignes, transmittendisque Charonti.  
57 Has grates referunt umbrae, sancteque precamur.  
58 Fax cunctis diluta micat. Pro lumine vero  
59 ardent lampyrides, modicumque nitentibus alis  
60 scintillant. Tenebras etiam funalia findunt,  
61 et castigatae jamdudum ad funera taedae.  
62 Contrectare cibum manibus, cultroque, nefas est.  
63 Falcibus, aut buxeis, sed inania vesca, bacillis  
64 pertentant, quo more solet pransurus Iapon.  
65 Porro aliquid glutire, nefas. Decerpere odorem,  
66 et gustare licet. Quadrae gustata reponunt,  
67 signaque dant nutu, se praelibasse saporem.  
68 Lex antiqua loqui prohibet. Vox excidit ore  
69 nulla ; tacent omnes ; et ad unum immaniter omnes.  
70 Sternutant, vel hiant [hoc non prohibentur] et hiscunt ;  
71 interea tubulos inflant, quod nulla vetat lex,  
72 ac proprios artus ; inflammatoque tabaco  
73 alter ad alterius se vertit et ora, vaporat.  
74 It fumus caelo, piceaque intexitur umbra.  
75 Hic potus vacuis, haec est concessa voluptas.  
76 Fit subito plausis fragor ossibus. Inde repente  
77 surgitur. Hinc varii cursus, variique recursus.  
78 Olli secedunt, olli ulteriora reflectunt  
79 se in spatia ; ac maciem, et Libitinae munus adorant.  
80 Ter circum mensas alternis orbibus orbem  
81 impediere ; ter accensis siphonibus ignem  
82 fumificum, et foetorem, ululatusque ore dedere ;  
83 nec mora (namque Oriens radiis afflavit anhelus)  
84 in tenues ventos ventosum evanuit agmen.  
85 Talia quis culpet nullo convivia luxu  
86 stantia ? Vel si aliquo ; quando non sufficit aer ?  
87 Non opus est magnis hic sumptibus. Hoc epulum quis  
88 invideat ? Sit fas, liceatque accumbere Macris.
- A24 v.1 Huc, Agathyrse, veni. Si cena parabilis ulla.  
2 Frugalisque sapit. Totas concedimus ollas,  
3 Hispanas etiam, putres cognomine dictas ;  
4 aurai plenas densatae, et simplicis ignis,  
5 quidquid et intactum cenans Libitina reliquit.  
6 Invito : ne quid pereat, consumite. Frustra.  
7 Macrobiani pulpam, non pulmentaria quaerunt.  
8 Non lentem, vilesque fabas, sed viscera porci  
9 Trojani. Magna, lautaque paropside vivunt.  
10 Exspectant avidi, dum phoenicopterus ingens  
11 advolet, et Geticis avis intercepta pruinis.  
12 Quin etiam rhombis, mullisque, lupisque minantur.  
13 In quem vero locum pertusus sacculus haec fert !
- A25 v.1 Idem crudeles, qui tot convivia ructant ;  
2 osse alios pascunt, pinguis se flore medullae.  
3 Nullus inest, vel rarus amor, vel gratia macris ;  
4 ut miserum relevent chalybis praecordia duri  
5 non fletum admittunt, nihil est immitius illis.  
6 Pinguis sese hominem verbis, factisque fatetur.  
7 Funere conspecto seu matris, sive sororis,  
8 seu consanguinei, quamvis a stirpe remoti,

9 dat gemitus, super incumbit, sique ultimus errat  
 10 halitus inque aures inque intima colligit ora.  
 11 Timones macri, sicco pede, lumine sicco  
 12 praetereunt tumulos, et plenas fratribus urnas.  
 13 Hic, o quae semper fueras nunquamque fuisti  
 14 regina, hic posses conjux clamare Sichaei :  
 15 Anna soror, soror Anna, meae male conscia culpae ;  
 16 num fletu ingemuit nostro ? Num lumina flexit ;  
 17 num lacrymas victus dedit. Aut miseratus amantem est !  
 18 Hoc pater ad gnatum, fratremque sororia posset  
 19 umbra loqui, macros pietatis deficit humor ;  
 20 irrorat natura parens et corda ferarum :  
 21 anne hominum nequeat ! Puero Pallante perempto,  
 22 it bellator equus, positus insignibus, Aethon  
 23 illacrimans. Guttisque humectat grandibus ora.  
 24 Quin et Mygdonii, quos frenat magna Cybelle,  
 25 Eutropius Phrygias postquam vastaverat arces,  
 26 dicuntur lacrimis torvi maduisse leones.  
 27 Sola (pudor ! ) Macies durata liquescere nescit,  
 28 cum tamen et glacies sole accedente liquescat.  
 29 Lucas Pumicius, quia nil lacrimabile habebat,  
 30 extulit, ut pumex siccissimus, ante sororem,  
 31 post matrem. Quam defuncto donaret amico,  
 32 nulla fuit toto nimirum in pumice gutta.  
 33 Sudavit tamen iste lapis, si perdidit unum  
 34 ex loculo nummum : si flevit Alessia pellex.  
 35 Mitior, o quanto, Transonius ! Aequora passis,  
 36 naufragium, casus fortunae, busta, ruinam,  
 37 condolet, ac totus consentit. Forte jacentem  
 38 in campo offendit, nigrae ad confinia silvae,  
 39 concisum plagis ; sanie, taboque fluentem  
 40 allevat, inque suo lapsantem sanguine tollit ;  
 41 cumque oleo vinum ramosa in vulnera vergens,  
 42 curaturus equo sublatum imponit et aufert :  
 43 officiumque pii Samaritae praestat. Alanus  
 44 praeterit aegrotum, minimumque juvare sacerdos  
 45 dissimulat, macer est. Riget intra viscera saxum.  
 46 Utraque dura manus, nec Stoica fibra movetur ;  
 47 atqui etiam Niobe, Niobe Sipyleia mater,  
 48 in marmor conversa madet ; fletusque notantur  
 49 signa, quibus satiat luctum, natisque parentat.  
 50 Accedat pauper, per sacra, per optima quaeque  
 51 a Superis speranda roget Certellio nummum.  
 52 Admoveat lacrimas etiam, tandemque coactas  
 53 blanditias ipsum Plutonem et Porthmea torvum  
 54 flexuras. "Pulchrum Dominum" vocet atque "venustum  
 55 Euryalum". Frustra : stips parva negatur egenti.  
 56 "Mens immota manet. Lacrimae volvuntur inanes."  
 57 Sentibus excutias uvas prius, ilicibus tus.

A26 v.1 Respice respicium : cui sunt exilia crura,  
 2 qualia Lydorum tatrix suspendit Arachne.  
 3 Quid das, ut tibi det ? Turpissimus Euclio condit  
 4 thesauros. Populus me sibilat ; ast mihi plaudo  
 5 ipse domi : dixit quidam dignissimus unco.  
 6 Respice Gotschalcum dura sub pelle latentem,  
 7 ecquid ab hoc speres ? Sunt et promissa caduca,  
 8 nil, nisi inane, tibi vultus promittet inanis.

- 9 Spondet Achaemenios reges, Croesique tiaram.  
 10 Iro palliolum misero quoque vile negabit  
 11 nunquam aurum loquitur ; nunquam ore pecunia danda  
 12 ulla cadit. Verbum si paullo opulentiùs exit ;  
 13 rursus avaritia tanto pejore resorbet.
- A27 v.1 Sed quid si fasces Albumacer occupet ? Et si  
 2 in solio sedeat quaedam indulgere rogatus.  
 3 Dat, revocat, metuit, mussat : concedit et aufert.  
 4 Torquet, et intorquet barbam, deciesque retorquet.  
 5 Quod negat, affirmat. Mox affirmata negantur.  
 6 Pallet, et indubitat tanta est discordia mentis.  
 7 Quid temet crucias, aliosque ? Quid anxius haeres ?  
 8 Aias, sive neges. Modo des responsa petenti.  
 9 Occidis torquente mora. Dic fortiter : hoc sit ;  
 10 hoc non sit. Ducit suspiria pectore ab imo.  
 11 Haec quoque, ne observes, varium, atque inamabile prorsus  
 12 ac pluvium ridet : sicut cum sontica nubes  
 13 solvitur in fruges, radiis solaribus icta.  
 14 Concedit, dubites concesserit, anne negarit.  
 15 Ergo alter tellus subter petit, ima dehiscat.  
 16 Si primum accedat fuligo pellis, et ater,  
 17 Memnoniusque color : suspecta Memnona talem.  
 18 Qui macer et niger est, hunc tu, Germane, caveto.
- A28 v.1 Hoc Maracona facit. Sed transeat. Hoc Maracona  
 2 et sibi nempe facit ; sibi durus, et asper, et uni  
 3 terribilis primo, rugas, vultusque decembres  
 4 format, et in mediam declinat lumina brumam.  
 5 Nulla aestas hominis ; semperque hyemale rigescit.  
 6 Ipse sibi Minos capitalis, et Aeacus, urnam  
 7 commovet, et nunquam non indignatur acerbe.  
 8 Funibus in tergum saevit ferus, atque catenis.  
 9 Hic igitur tolerandus erit. Sed quis ferat Hornum,  
 10 qui solum se ferre potest, solumque fovere !  
 11 Inque suis oculis pavonem circinat, atque  
 12 stellantem caudam stellis majoribus explet.  
 13 Quamvis ipse macer, pinguem probat ore poetam,  
 14 perque gradus omnes illum scit scandere versum ;  
 15 omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.  
 16 Hoc sapit, hoc nutrit. Fraterculus Ascalonita  
 17 cuncta sibi ; nil unquam aliis indulget. In unum  
 18 corrivantur opes irritamenta malorum.  
 19 Ventrem solus habet : tamen odit habere videri.  
 20 Poena quoque est praesens. Digito monstrante notatur,  
 21 et male formata ficu, sannaque sonante.  
 22 Ac medias inter segetes, ubi Copia regnat,  
 23 inter delicias, tremulis, vix ossibus haeret.  
 24 Et tamen ille idem, superis in vota vocatis,  
 25 sperat per sanctos montes ascendere caelum.  
 26 Ex hac laterna quid sancti eluceat ! Oro.  
 27 Qui virtus verum splendorem emittere possit !  
 28 Utcumque abstergat fungos, et lychnia tentet  
 29 inflammare foris placidosque accendere mores.  
 30 Sunt tamen et nares quae rhoncho dicere possunt :  
 31 "Et jam summa procul tectorum culmina fumant."  
 32 Finus amore sui macer est, et liquitur igni,  
 33 cerae more fluens. Suus est rivalis ; et a se

- 34 dependet totus. Sicut Narcissus amator.  
 35 Vivat, et optatum supplex procumbat in Hermum ;  
 36 aspectuque auri laetus manantis, in unda  
 37 se, tamquam in speculo, monstrum miretur avarum.
- A29 v.1 Haec satis ad vigilem, quaeris, quae somnia vexent  
 2 sopitum. Redeunt eadem simulacra per umbram,  
 3 votaue cessantis tractu revoluta diurno.  
 4 Ut venator enim cursu, atque indagine fessus,  
 5 in somnis etiam silvas, et confraga lustrat ;  
 6 Pastor oves numerat, mercator computat aera ;  
 7 arma movet miles, suspendunt carbasa nautae ;  
 8 ante torum "Finni" stat maesto luridus ore  
 9 Phantasus, et varia noctu sub imagine ludit.  
 10 Cura, pavor, luctus, spes, desperatio, lucrum  
 11 ingeminant. Metuit, ne praedo lubricet arcam,  
 12 ne grando segetes, ne vires verberet Auster,  
 13 anxius in lecto pensat mendacia somni.  
 14 Desunt multa, quibus deest justum corpus. Amici  
 15 deficiunt ; minuuntur opes ; annona fefellit,  
 16 aut fallet. Muscis cerebrum patet, atque cicadis.  
 17 Ubera distendunt non sufficientia caprae.  
 18 Triste lupus stabulis, vaccaeque minantur abortum.  
 19 Praesagos volvit fastos, annique sequentis  
 20 omina, et infaustis dispendia jacta Calendis.  
 21 Hinc semper trepidans, ne rodere desit. In horas  
 22 omnes cum gemitu, penuria certa timetur,  
 23 arcta fames ; poenamque luit formidine poenae.  
 24 Blanda quies pinguem sopit, jucundaue lactant  
 25 somnia ; et in tenebris etiam lux alma nitescit.  
 26 Ante oculos armenta boum versantur opima.  
 27 Aurea messis adest, et inundant frugibus agri.  
 28 Fluctuat alta seges, largoque ex palmite ridet  
 29 Liber, et immanes trudit vindemia botros.  
 30 Jam natat in flavo concepti nectaris amne ;  
 31 jam medios sublatus homo volat inter olores.  
 32 (qui pote tam vastum corpus ? Praegrandibus alis  
 33 ingentes autem Morpheus inducere novit.)  
 34 Jam conviva jocos miscet. Mox impiger haurit  
 35 spumantem pateram, et pleno se proluit auro.  
 36 Quin etiam (assueti transeunt in somnia mores)  
 37 pauperibus miscet calicem, aut miscere videtur.  
 38 Aut tunica vestit nudos, aut ditat egenos.
- A30 v.1 Talis Froscardus, genialis, et integer aevi,  
 2 ac vitae, (ventris, qualem bos ipse timeret),  
 3 immensus, multoque cutem distentus omaso ;  
 4 quid praesens vehat hora, videt, curatque, foveatque,  
 5 atque Mathematicum quamvis sublime futurum  
 6 et momenta poli spernit, Babyloniaque astra.  
 7 Vivam hodie felix : incerta est crastina vita,  
 8 Numinis aeterni cunctas si provida pascit  
 9 mens volucres caeli ; si fur alatus abundat,  
 10 me quoque pascet, ait. Pluris sum passere vili.  
 11 Venerit esuriens ad portam Tuccius ; ultro  
 12 invitat ; manibusque stipem largitur apertis,  
 13 atque manus inopes implens demulcet, et aufert  
 14 paedorem, ac nudos a frigore protegit artus.

- 15 Corneus Hyrtacides, foliis oleaster amarus,  
 16 pupilli ac viduae licet ima ad limina plorent ;  
 17 non magis afflicti voltum sermone movetur  
 18 quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.
- A31 v.1 Longe aliter dulcis Taratanzius, et comes ejus  
 2 Huppius, et magnam quassans Gluckersius urnam.  
 3 Tres ex composito pingues. Nil mitius illis  
 4 Sol vidit, blandum percurrens virginis astrum.  
 5 Cunctis sunt grati, ceu primo mane "Bonus dies".  
 6 Gaudent id quod habent posse in commune referri.  
 7 Privatum nil pene sapit. Laetantur amicum  
 8 partiti. Gemitus edunt, cum perditur una  
 9 indonata dies ; et crescit larga voluptas,  
 10 cum bene dividitur. Totoque abdomine rident,  
 11 donato quoties arridet mensa Falerno.  
 12 Fidamus, fidamus ei, qui, vivite, dixit.  
 13 Quo plus largimur, cum fenore plura redibunt.  
 14 Hae voces : his principiis adipata senectus  
 15 exhilarat juvenes ; sapidisque innititur ausis.
- A32 v.1 Malo coquum pinguem, Smyrna Chiove profectum,  
 2 haut refert ; modo det laeto jentacula vultu,  
 3 qualis erat Barsan Baslach, et Scalga Marocus,  
 4 quam gracilem Frasilum, lumbosque recinctum Arimaspum.  
 5 Eheu ! quos oculos formant, cum poscitur offa !  
 6 Alter in incertum torquet morosior hirquos.  
 7 Alterius vultum fugiat quoque pamphagus, ante,  
 8 quam videat fustem, aut figenda cacumina furcae,  
 9 sed Barsan Baslach ab avo Dremelio dictus,  
 10 unctus, et illotus, lautusque, et pinguis, ut octo,  
 11 vigintique boves ; totam pinguedine vestem  
 12 oblitus, aequali metro se praebuit ipsum,  
 13 offam, animamque suam. Pinguis fuit ipse cachinnus.
- A33 v.1 Numne omnes igitur tales ? Si degener unus  
 2 forsitan indignum nostro se carmine praestet :  
 3 illum ego devoveam canibus, vitulisque marinis.  
 4 Detestabilius nihil est, quam pinguis avarus.  
 5 Contra naturam peccat, laudique resistit.  
 6 Illum ego deiciam medio de ponte frementem.  
 7 Illi opto, ut Rabies, Maciesque, Famesque, Sitisque  
 8 armatae occurrant, vultu stridente cerastis.  
 9 Imprecor, ut byrsa conclusum culeus arctet ;  
 10 insutasque feras, terris exclusus, et undis,  
 11 donec se emendet, supra patiat, et infra.  
 12 Ut, quo more bibit, captatque fugacia poma  
 13 Tantalus, autumnu sitiens crucietur eodem.  
 14 Imprecor et diras ex Hipponacte profectas  
 15 Archilochique minas, saevumque minantis iambum,  
 16 et quidquid vomuit Sulmo nasutus in "Ibin".
- A34 v.1 Nil mirabilius macro simul atque benigno.  
 2 Illum ego Naturae domitorem ad sidera tollam,  
 3 qua micat Erigonen inter, sanctamque bilancem  
 4 aetherius merges, spicae formosior ignis.  
 5 Illius ad tumulum spargam violasque rosasque,  
 6 quidquid odoriferum felix Panchaia mittit,

7        ossibus infundam, totoque in vere reponam.  
 8        Vicit enim, vicit, seque expugnavit et ipsum,  
 9        ut nemo Ajaxem potuit superare, nisi Ajax.

A35     v.1       Sed quotus est talis dictos meriturus honores ?  
          2       Quem macrum vehemens incendit gloria dandi ?  
          3       Rara avis in terris nigroque simillima cygno.  
          4       Talis avis certe non est Bubonius Eila  
          5       dii me ! dii largi ! quam parcus, sordidus, ater,  
          6       ad res attentus ! Non ille philargyrus olim  
          7       Plauti talis erat : Plautinae, nocte, dieque,  
          8       incumbens aulae locuples, et egenus, an olla !  
          9       Eila quoque incumbit macer, ut vix unguibus istis  
          10       Caucaseis gryphes servent in montibus aurum.  
          11       Tanta mole tenax. Tam non est nummulus ater,  
          12       quin mox diripiat. Digitos pix inquinat omnis.

A36     v.1       Istri Pegasides : paullo majora canamus.  
          2       Quidquid dicatur, vitandum censeo macrum  
          3       cauponem excipias forsitan de millibus unum.  
          4       Saepius ante fores suspenditur aureus anser,  
          5       aureus est anser ; sed ferro durior hospes.  
          6       Decipit hic hamus. Juvenes ne fidite signo.  
          7       Pendent Sirenes ; blandis ne credite Nymphis.  
          8       Pendet caeruleus delphin ; ne fidite pisci.  
          9       Pendet equus per colla jubas dispersus in armos,  
          10       ante domum spatiosam, et factam ex marmore portam ;  
          11       tantum non hinnitu invitat praeter euntes.  
          12       Hic novus exclamet Capys, occurrensque per urbem  
          13       Laocoon : quid agis certo periture viator ?  
          14       Huc ne divertas. Sic vobis notus Ulysses !  
          15       Aut macer hoc aliquis ligno occultatur avarus,  
          16       aut haec in loculos fabricata est machina vestros,  
          17       aut aliquis latet error : equo ne fidete Teucri.  
          18       Accipe Pantaleon, quae sors illuserit Hasso.  
          19       Nescio quos regni fines transibat. Ab uno  
          20       invitatus, adit cauponam ; praeda futurus.  
          21       Allexit phalerata domus, sublime lacunar,  
          22       pergula cum maculis. Bifrontis janua Jani.  
          23       Hospes homo gracilis, luscus, gilvique coloris,  
          24       horrida foetenti spirabat sabbata vultu  
          25       (et foetebat adhuc proavum). Discingitur Hassus.  
          26       Accurrunt famuli : ponuntur genua. Salute  
          27       donatur decumana, et promittente beatas,  
          28       nescio quas, Cypri sedes caelumque canorum.  
          29       Ducitur in cedrinis hypocaustum nobile tignis ;  
          30       undique constratum. Statuas complectitur umbo ;  
          31       fulget imaginibus ; tralucet fenestrae  
          32       ex Veneta fornace patent. Aequantia ramos  
          33       diversi generis cervorum cornua pendent.  
          34       Fortunam, fatum, vitamque Actaeonis omnem  
          35       cernere erat pictam, quasi depinxisset Apelles.  
          36       Sed mens laeva fuit cernenti : pinxit Apella.)  
          37       Spectabatur item discerptus Marsya Faunus,  
          38       suppliciumque Midae medio in splendore tremendum.  
          39       Horret ad aspectum bibiturus fusilis auri,  
          40       et fremit esuriens, ac vota nocentia damnat ;  
          41       fulgentemque miser massam de gutture reicit.

42 Parte alia visendus erat feritate Lycaon  
 43 Notus, ut insontem mactat de gente molossa.  
 44 Utque Jovis natum, coctoque cadavere tentat  
 45 decepisse Jovem. Sentit tamen impius iram  
 46 vindicis, inque lupum mutatus sanguine gaudet  
 47 nunc quoque, et exululans caedem balantibus infert.  
 48 Interea, dum se pictura pascit inani,  
 49 fervet tota domus. Stridenti cardine crebro  
 50 janua laxatur, sellaeque, ac mensa moventur.  
 51 Fit strepitus tectis. Luxum facit ipse tumultus.  
 52 Pompa frequens, octo de prima pube ministri  
 53 otia in insidiis peragunt, et ad omnia nutant.  
 54 Dat manibus crystallus aquas ; argentea pelvis  
 55 subicitur. Mantile tenet Strigelius hospes.  
 56 Tandem epulum ingreditur, (fatuum ac miserabile prorsus) :  
 57 triginta patinae majorem emblemata partem.  
 58 Grande nihil : patinae caelatae mille figuris.  
 59 Hic Fridericorum, Rudolphorumque volantes  
 60 errabant aquilae, nec non parvi Ganymedes.  
 61 Carolus hic Quintus ; nihil intus, nam rugosa  
 62 quid pruna, et septem cancri ? Quid gobius unus ?  
 63 Et gallina Hecube, cui jam muliebria, et ova  
 64 desierant fieri, nulli cessura machaerae.  
 65 Apposita est crambe repetita, recocta, regesta  
 66 et jam putorem ducens aetate minuta.  
 67 Pauca tumescentis, sine aromate, tubera terrae,  
 68 ex vitulo crates. Aliquid de tergore porci.  
 69 Nullus oryx, nullus rhombus : putria ostrea septem.  
 70 Non potuit nisi tres (credat Judaeus) alaudas  
 71 in toto reperire foro. Sic lumina pavit,  
 72 non stomachos. Bibitum est primo tolerabile vinum,  
 73 at sensim levius. Generosum donec acetum  
 74 successit, quale aut Landishutana pruina,  
 75 aut fert Kelhemii pueris labrusca timenda.  
 76 Cum quibus Herlaeum certabit nectar ad Istrum,  
 77 autumnno si bruma prior praeverterit annum.  
 78 Sopitus Virro tandem se in strata recepit.  
 79 Non tamen accepit placidam mox pectore noctem.  
 80 Confusi latices torquebant viscera. Summo  
 81 mane vigil, petit impensas describier actas.  
 82 Interea leves ocreas inducit, et astrum  
 83 adspicit, extrema caeli statione recedens  
 84 ac se tam pulchra miratur sede receptum.  
 85 Syllabus, ecce, venit longus, bicolorque tabella.  
 86 Comprendens summam. Bis dena numismata fulva,  
 87 qualia cudit Iber de nobiliore metallo,  
 88 poscuntur. Tamquam calcata pallidus hydra,  
 89 obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.  
 90 Quod genus hoc pretii ! Quis talem exposcere summam !  
 91 Hospes mirantem miratur, et acrius instat.  
 92 Alter ad haec : "Ubi sum ? Mecum vin, credo, joculari !"  
 93 Cui Macer : "Hem ! nullus jocus est : injuria nulla."  
 94 Res loquitur. Virro indignans, et plene soluto  
 95 in tristem risum ; alterutrum dementia vexat,  
 96 inquit, et erigitur. Tantum ergo debeo ! Tantum.  
 97 o Superi ! dixi, cena unica ; tresque caballi,  
 98 auriga et famulus ! Falso subductus, opinor,  
 99 calculus. Haut falso. Sex ventres pavimus eia !



100 Hoc multum ! testor : summae de parte remisi.  
101 Est modus in rebus. Modus hac antiquus in Urbe est ;  
102 solvere quod debes. Ergone nigerrima nox haec  
103 aes tam grande (facit) fecisset grandius, ultro  
104 ni subtraxem aliquid. Testor : digitisque duobus  
105 erectis. Testere decem digitis, licet : ex his  
106 unus erit certe curvusque, harpaxque, rapaxque.  
107 Se curvum praebet, quod in uncum crescere debet.  
108 Nescio, quid musses ? Quot inania vasa dedisti ?  
109 Sex minimum lances implesti vilibus ovis.  
110 Vilibus ! Haec alio redimenda injuria lytro est.  
111 Hasse miser. Cunctaris adhuc ? Nil jurgia prosunt.  
112 Ecquid agas ? Tenet implicitum te milvius ungue.  
113 Sed, jura, dices. Etiam ad perjuriam coges.  
114 Jurabit per averna Macer loca : per Samothracas  
115 Elysios, ipsamque Hecaten ; et per Furias tres ;  
116 perque suam maciem, Furiam, sua numina, quartam.  
117 Haec summa, o Virro. Cuivis sua in arte perito  
118 credendum est ; calletque suam Strigelius artem.  
119 Sic nihil evinces. Nam computat omnia : cretam  
120 (huic, licet, ascribas Cretensia, Cretica vina.  
121 Cretenses semper mendaces : Cretica falsa  
122 potasti ; pretiosa tamen,) Strigelius hospes  
123 computat et cretam. (Quod Creta sit insula, nescit.)  
124 Et cretam duplicem, qua te signavit inique.  
125 Ut Marius faber ipse sibi caedendus, eumdem,  
126 a quo perfossus, gladium confecerat olim ;  
127 sic tibi sunt proprii cara instrumenta doloris,  
128 argento redimenda tuo. Cretam abluere primum ;  
129 deinde Hecubam galli uxorem, vetulamque, putremque.  
130 Sunt quoque, si nescis, redimenda tapetia, sellae,  
131 pulveris Adriaci phialae ; septemque ministri.  
132 In segmentato dormisti Virro cubili.  
133 Pendebant artis Phrygiae velamina circum.  
134 An non puniceum venienti filia florem  
135 porrexit, (sic docta fuit) cum accumbere velles ?  
136 Non deerant alii, memorans expende, favores.  
137 Guttus erat gemmis, et signis aspera pelvis.  
138 Ipsemet Harticus mantilia praebuit hospes.  
139 Haec gratis speras ? Audi jam tempus agi rem.  
140 Da, quod habes. Effunde Tagum. Numerare Philippos  
141 coges, et facies regum monstrare minutas.  
142 Ventum est ad rixam prope, et ad capulum capularem.  
143 Eventum exspectas ? Ut iniquae mentis asellus  
144 auriculas Virro demisit, et obtulit aurum.  
145 Quantum habuit nisi vellet equos dimittere, et ensem  
146 gestatum a proavis ; et qui fulgebat Iaspis  
147 in digito. Durum est, exuto pollice Matris  
148 perdere berillum, manibusque effundere patrem  
149 gemmatum, et forsan magni oscula Regis habentem,  
150 sic abiit liber, levis, ac multo aere levatus.  
151 Hoc ipso plorans abiit, ceu Marsya victus,  
152 seque illi picto similem reminiscitur esse.  
153 Respectansque domum ; pol, haec caupona macellum est  
154 mortis : aberravi miser, inquit. Ut hunc lanionem  
155 diripiant centum lanii Plutone creati.  
156 Ante fores suspensus equus fuit albus. In atrum  
157 desinat. Ex vero potius stent signa draconis.

158 Figatur facies ichneumonis, aut crocodili.  
 159 Quid queror ? Ex vultu luctus sagire futuros,  
 160 exitiumque mecum debebam. Jam scio quis sit  
 161 Actaeon : cujus speculator in icone picta  
 162 defixi obtutum. Mihi stant venabula magno.  
 163 Nec tamen in magnam memini peccasse Dianam.  
 164 Actaeon ego sum. Minus alter passus ab Alce,  
 165 et Canache, et Sticte, Lachneque, et Hylactore, et Agre,  
 166 Spartanis canibus, nostro jam sanguine plenis.  
 167 Cerberus iste meus superat crudelior omnes.  
 168 Hem ! quo blanditiae spectabant, verbaque plus quam  
 169 Serica. Convivas solita non forfice tondet,  
 170 sed deglubit oves. Plectro sic carminat aureum  
 171 vellus, et in floccos pectit lanam, atque repectit,  
 172 consumptus donec totus vanescat Iason  
 173 jam scio, quis Mida sit, votisque furentibus aurum  
 174 expetat. O habeas quoque longas illius aures.  
 175 Experior rictum saevique Lycaonis ungues.  
 176 Dii tibi dent villos, in cruraque brachia mutent.  
 177 Dixit, et ex imo sputit ore, et corde Megaeras.

A37 v.1 Ergo non satis est zonae turgere crumenam ;  
 2 turgeat et facies : sit frontis, et oris honesti,  
 3 promittatque virum roseo fulgore benignum.  
 4 Qualis erat toto contrarius axe Maronus,  
 5 Alpibus in mediis situs, atque Tyroleos ortus.  
 6 Gutmanni nomen mores, populusque dederunt  
 7 illius hospitio. Nato quoque nomen adhaesit.  
 8 Non erat ampla domus, multisque ornata chimaeris ;  
 9 munda tamen, nec non accommoda pone tabernam  
 10 vinea serpebat clivo. Diverterat illuc  
 11 Tarpeias linquens Valeroda Pererius arces.  
 12 Ut stetit ante fores, et signum pensilis uvae,  
 13 egreditur cano venerandus vertice, toto  
 14 musteus ore senex. Viridis fuit ista senectus,  
 15 non sine aqualiculo. Sed vox suavissima fanti,  
 16 atque oculi tales, quibus elucebat amoeni  
 17 fax animi, sapidusque lepor, concinnaque mentis  
 18 temperies. Sed enim confestim accurrit et uxor,  
 19 (clamarat conjux) cophino, rastrisque relictis,  
 20 agresti sudore rubens, praepinguis et ipsa.  
 21 Ore verecundo, postquam salvere modeste  
 22 jusserat admirans, dentesque ostenderat albos,  
 23 (subridebat enim), petiit succincta culinam.  
 24 Sicque datis manibus deducitur advena sursum,  
 25 in conclave novum, nullo praeunte tumultu,  
 26 mensaque detegitur. Tantum illi sella parata est ;  
 27 quod reverens suadebat honor, scamnumque Maronus  
 28 occupat, acclinis mensae. Vix fallere tempus  
 29 coeperunt primis sermonibus ; amphora duplex  
 30 de meliore nota, rubrique, albique Lyaei  
 31 affertur. Liquor infusus fremit, atque resultat :  
 32 adventus dare signa sui certissima Bacchus.

A38 v.1 Dum bibitur tractim, scitatur amoenior hospes :  
 2 Pare, age : quae rerum seges est dispersa novarum ?  
 3 Optime : namque Italiam revenire videris ab oris.  
 4 Sic, ait, et narrat, quae viderit. Obsecro, narra.

5 Pascentem verbis paullo post sumine pascam.  
6 Audio Christinam, Suecorum sanguine regum  
7 progenitam, Tybrim petiisse, Urbemque Quirini.  
8 Sic est. Vidisti ? Vocemque his auribus hausi.  
9 Tot linguis loquitur, quot ferme Europa perorat.  
10 Obsecro ! Tam Latia est, quam vel Cornelia Gracchi.  
11 Implet fecundam non una scientia mentem.  
12 Obsecro ! Qui potuit diadema relinquere patris  
13 Gustavi ? Ex alto se lux infudit amanti  
14 quaesitam lucem votis Deus annuit aequis.  
15 Audivi vinclis non velle jugalibus uti.  
16 Sic est. Virgo manet ; vultuque, animoque severo  
17 spernit adulantes thalamos. Est altera Daphne.  
18 Obsecro ! Laureti castam venerata parentem  
19 Numinis, in donum supplex. Proprioque coronam  
20 direptam capiti sceptrumque insigne reliquit.  
21 Obsecro ! Cur igitur non haec dicatur Amazon ?  
22 Sic est. Ex patria quoque venit, Amazones unde  
23 olim progressae lunatis fulgida peltis  
24 agmina duxerunt quas inter Penthesilea  
25 sustulit aetatem quatiens excelsa bipennem ;  
26 addi digna decem famosis virgo Sibyllis,  
27 Balthica Cumanae ; reliquasque accesse meretur.  
28 Vindictam mirare Dei. Pater ibat Adolphus.  
29 Igni et aqua si Fata darent subvertere Romam,  
30 Fata negaverunt ; Romanaque filia facta,  
31 plectit justa suum tamquam Rhamnusia Patrem.  
32 Romae accepta fuit ? Vanos non fingo paratus,  
33 nec verbis majora cano. Res ipsa locuta est.  
34 Obsecro ! De castro genii caelestis, ab arce  
35 ignea per rutilas micuere ceraunia nubes  
36 missilibus telis. Tonuit caelum omne tumultu.  
37 Obsecro ! Quis fecit sumptus ? Pater Urbis, et Orbis.  
38 Mira quoque audimus. Tam mira, et magna referre  
39 Fama nequit : possint ut non majora referri.  
40 Obsecro ! Laudatur Pietas, Prudentia. Talem  
41 nostra requirebant civilibus aspera bellis  
42 secula pontificem, qui stringere posset habenas,  
43 et laxare manu sciret. Quod fortiter, atque  
44 suaviter impositus facit. Obsecro ! Claudere Janum,  
45 pars est votorum. Curas huic dirigit omnes.  
46 Laudetur sine fine Deus. Deus ista, Marone,  
47 exspectata diu fecit nostro otia mundo,  
48 promissumque virum signis monstravit apertis.  
49 Obsecro ! Monstravit ? Laevum intonuisse putamus.  
50 Quis neget electum divinitus ? Albus et omnis  
51 calculus invitum signavit, nilque petendo,  
52 nilque recusando. Per tot suffragia Patrum,  
53 consensu titulos omnes collegit in unum.  
54 Maximus, ut discas Fabios restare sequentes.  
55 Chisiades ortus senis, insignibus ante  
56 sex tulerat montes, patrio cum sidere ; sed nunc  
57 sustentat totum septem cum montibus Orbem,  
58 factus Atlas, caelumque ipsum cum clavibus aures.  
59 Grata mihi memoras fert una haec sidera cervix !  
60 Semper Alexandris unus non sufficit Orbis.  
61 Majorem inquirat noster, quae sancta cupido est.  
62 Septimus hoc Magnum major discrimine vincit.

63 Aiunt, Senenses puro magis aethere vesci ;  
 64 quis dederit solers plus ignis habere Prometheus.  
 65 Jam puer aequabat juvenes ; juvenique deserto  
 66 facundi cessere viri, cessere magistri.  
 67 Vir stetit ante senes. Canos praevertit adulti  
 68 canicies animi. Velox Sapiencia visa est  
 69 anticipasse dies, et praelibasse Platonas.  
 70 Unus purpureum sacro facit ore Senatum,  
 71 eloquii rorem, mentisque altissima sensa  
 72 vox simul emisit, manifesta oracula fiunt.  
 73 Obsecro ! Tergeminae majestas sancta Coronae  
 74 celatur, tantumque jubar, virtute gerentis.  
 75 Summus submisso de se sentire triumphat.  
 76 Sub pedibusque suos, quos Rex, et Caesar adorant,  
 77 prostratos habet ipse pedes. Terrae memor, olli  
 78 oscula dat mitratus apex, vicinus Olympo.  
 79 Ipse sibi accendit stupam, ridetque vaporem ;  
 80 ipse sibi occentat ; sic transit gloria mundi.  
 81 Obsecro ! Quid narras ? Ex plumbo fusilis arca  
 82 funebris ad lectum recubat ; fratremque Soporis  
 83 obicit, in pheretri spacio post Fata locandum.  
 84 Obsecro ! Sic pauci summa virtute fruuntur.  
 85 Calva quoque ex plumbo, loculo requiescit eodem.  
 86 Hoc speculum vultu non conivente tuetur.  
 87 Ad calvae speculum mores componit, et ora.  
 88 Mors est in votis. Vita est meditatio mortis.

A39 v.1 Talibus alloquiis dum praevia pocula miscent,  
 2 nulla mora est, cenam praecinctus filius infert.  
 3 Hic quoque turgidulus, roseaque aetate renidens.  
 4 Servulus insequitur ; tum nata, ancillaque, et ipsi  
 5 pleni hominum, quales gaudentia lumina pascunt.  
 6 Accubuere. Manus facilis praefluserat unda.  
 7 Prima oculis stellata, gulam bene proluit offa,  
 8 innabat gallus, sed vix egressus ephebos,  
 9 tam tener, et cultro fuerat tractabilis. Anser,  
 10 atque affinis anas, cum dulci embammate, et octo  
 11 confertim turdi, patina ponuntur in una ;  
 12 inque alia scolopax socios tres junctus habebat.  
 13 Tum petaso ; circum Lucanica torrida fumo.  
 14 Mox perdix oleri, juvenisque incocta palumbes.  
 15 Montanae capreae clunes, de pectore cervi.  
 16 Adfuit et glacies piperata, adstrictaque squilla.  
 17 Ferula pauca quidem, sed non umbratica, sed quae  
 18 ad Germanorum, lingua nostrate, saginam  
 19 significant aliquid, nil significantia sperno.  
 20 Lactucam potuit crispam ipsa rigasse videri  
 21 Pallas : abundantanti sic flavens rore fluebat.  
 22 Adjectaeque inulae, radices, intiba, corna.  
 23 Ex herbis spirabat amor, fragransque voluntas.  
 24 Asparagos molles non apposuerunt : negabant  
 25 tempora. Defectum supplebant punica mala,  
 26 et citrei fructus, mitesque a vitibus uvae ;  
 27 selectaeque nuces Tuscae super omnia vultus  
 28 accessere boni. Super hos quoque mitis Iacchus.  
 29 Quippe vitris etiam sapuit communibus haustus.  
 30 Nulla Thetis violarat eum. Castissimus humor,  
 31 qualiter ex gremio genitrix Vindemia fudit,

- 32 intemeratus erat : stomachi vitalis amicus,  
 33 ac cerebri. Nullae cingebant tempora nubes.  
 34 Non tempestates exciverat, atque procellas.
- A40 v.1 Jamque supinato currum temone Bootes  
 2 flexerat. In dulcem solvuntur membra quietem.  
 3 Ergo torus petitur. Dant verba precantia somnum.  
 4 Evigilat. Sed jam siccata excusserat omnes  
 5 exuvias Nati, pennasque Aurora madentes.  
 6 Instaurare, paratus iter vult symbola duci,  
 7 hesternaeque gulae pretium. Videt, ecce, reposta  
 8 in cumulum struxisse novo jentacula luxu.  
 9 Abnuit alliciunt ; cogit bonitatis imago.  
 10 Mundicies, structura, dapes miscentur in unum.  
 11 Et stupet, et gaudet. Sed mox contendit abire ;  
 12 prudenter trepidans, aurem vellente crumena.  
 13 Sol quoque jam multum spacii confecerat ortus.  
 14 Hic facilem cretam pinguis mirare Maroni.  
 15 Tota stetit medio cenantis massa Philippo,  
 16 jentantisque simul. (Cerdones discite macri)  
 17 delevitque notas non integer aureus omnes.  
 18 Alter ad haec : "Venerande Senex, non debeo plura !  
 19 Pauca nimis petitis nequidquam. Sufficit hoc, quod  
 20 poscimus, hinc aliquam liceat quoque demere partem.  
 21 Non patiar. Mater, tu digna es Sara vocari,  
 22 tuque Abrahamus eris pater. O par nobile ! Qui vos  
 23 junxerunt Divi ? Qui vos genuere parentes ?  
 24 Vivite concordes : haec Baucis, et iste Philemon."
- A41 v.1 Dona dehinc partitus erat, quae plurima Roma  
 2 attulit. Electro Nasarenae Virginis ora  
 3 in gremio dulcem puerum deducta ferentis  
 4 attribuit Matri. Sacrum lustrale numisma,  
 5 cum theca ex ebena, lamellaque ex orichalco,  
 6 (arte infusa fuit Christi patientis imago)  
 7 jussit habere Patrem, tres ceras virginis agni  
 8 filiolae, fratrique dedit. Prope sedula nutrix  
 9 stabat anus, micamque rogans ; huic praebuit Annam,  
 10 ipsa majorem natam genitrice foventem.  
 11 Pro donativo famulorum forte culinam  
 12 praeteriens, frustum argenti conjecit in ollam.  
 13 Principio renuunt donis onerare pudorem.  
 14 Sed tamen admittunt ; fortunatoque precantur  
 15 caelestes Genios comites. In ephippia tandem  
 16 erigitur ; dictoque vale, calcaria subdit.
- A42 v.1 Dic mihi, Pantaleon. Uter est acceptior hospes ?  
 2 Scilicet eligeres istum. Natura benignis  
 3 pinguibus esse dedit. Macies truculenta ferocit.  
 4 Nec melior, quae se studiis exercet alendam.  
 5 Causidicum quaeris ? Sed quem ? confidere Pingui  
 6 tutius esse reor. Quoniam macilentus, et Argus,  
 7 uno vix oculo distant. Declinat uterque  
 8 in Mosen, et distortis adjunctus Apellis,  
 9 fenore flavescit, turpisque cupidine lucri.  
 10 Causidicus macer in miseros pirata clientes  
 11 saepe fit ille ferox velis intentus, equisque,  
 12 qua spes affulget, divesque Favonius afflat ;

13 remigibus suppar, convertet suppara navis.  
 14 Omnia causidici macilenti nomina sumunt ;  
 15 dum sit odor lucri. Tondent, venantur, arantque ;  
 16 demittunt hamos, et stringunt cominus enses.  
 17 Schinderum laudas ? Quod sit quasi Bartholus alter.  
 18 Debueras saltem terreri ad nominis omen.  
 19 I tamen, i velox ; si sic in vulnera pruris.  
 20 Nummatam amittes pellem, praedico ; brevisque  
 21 senseris ingentem cultrum in praecordia fixum.  
 22 Laudas Carniphlum ? Quianam ? Minus ille clienti,  
 23 quam praedae invigilat ; geminumque hostile minatur  
 24 (bina manu lato crispans hastilia ferro)  
 25 qua penna scribit, saeva in venabula versa,  
 26 agricolas figit, resonansque eviscerat inguen.  
 27 Si locus tinnit, jamdudum arregerat aures.  
 28 Quam bibulam chartam, atque Tagi sitientem. Habet Olmus ?  
 29 Non satiatur enim. Bibet omnem ex pectore succum.  
 30 Extendet dubias lites in secula, et ultra.  
 31 Vivitur ex rapto, sine lege, potissima lex est.  
 32 Hanc tibi saepe Olmus, fraterque Taranda citabunt.  
 33 Mutnegra cum Murva faciunt rectissima curva,  
 34 regula communis, qua praxis nititur omnis ;  
 35 atque illi, ut polypus, scopulis exstantibus haerent.  
 36 Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.  
 37 Malphus adhaerebit, donec radicitus omnes  
 38 excutiat venas auri. Non sanguinis una  
 39 gutta relinquetur. Misereri, et parcere nescit.  
 40 Quidquid habent bulgae Lucili, cujus et ista  
 41 vox est, a cascis tralata fideliter oscis.  
 42 Si vel stilla tuo super haeserit aurea naso,  
 43 emunget ; strophio saltem sic parcere possis.

A43 v.1 Fingimus haec forsitan, saturamque inflamus inanem !  
 2 O utinam ! Exemplum referam memorabile diri  
 3 pragmatici. Spiraee non ignotissimus olim  
 4 Zachaeus Scheolachus erat, doctissimus idem  
 5 legumque, et titulorum ; aequique, et juris iniqui ;  
 6 sed macer, et furiis Calvini deditus unis ;  
 7 venali eloquio solitus ditescere. Birro  
 8 venerat ; et postquam flexo pede dona dedisset ;  
 9 ut maturaret, submissa voce, rogavit.  
 10 Addidit unguentum stillans potiore moneta.  
 11 Illo adeo tria, vel sex viva cadavera possent  
 12 immensum redolere nefas imbuta. Quis unquam  
 13 pinguem ? Jam satis est adipatus venter Amati  
 14 iudicis. Impellet flavente sine unguine currum.  
 15 Macri multa petunt, et debent semper inungi.  
 16 Ne findat faciem calor, et ne strideat axis.  
 17 Zachaeus simul ac notum persensit odorem,  
 18 vultur odoratu, lynx visu, simia gustu,  
 19 et sus auditu, cum bractea tinnit auri,  
 20 sed, cum porrigitur, subtilis aranea tactu.  
 21 Hunc ergo simul ac gnatum persensit odorem ;  
 22 more canis, rostrum nota in vestigia mergens,  
 23 suspirat ; jam plura cupit, jam mollibus urget  
 24 imperiis laudat, speratque, oditque negantem.  
 25 (Malis semibovi censum numerare Perillo.)  
 26 Birro damus, dedimus, dabimus quoque. Sed queror unum hoc :

- 27 annum jam medium casso effluxisse labore,  
 28 sumptibus haut modicis, jactura temporis ; eia !  
 29 incipe. Constituas primum vadimonia. Judex  
 30 audiat : et litem decidat. Nil dabis ergo ?  
 31 Desperatus abi. Fletum lamenta sequuntur,  
 32 curvataeque preces. Vitulum promitto recentem.  
 33 Tres cupio. Modo me totum absorbere recuses,  
 34 sex ducam. Adiciam totidem cum matribus agnos.  
 35 Adiciam currum, bijugesque ante ora frementes.  
 36 (Haec axungia sufficiat pro mille rotarum  
 37 fulmineo curru Jovis, et Salmonea vectet.)  
 38 Hactenus ; et promissa probat. Vix mense peracto,  
 39 attulit incrementa : nitens pro conjuge peplum,  
 40 auroque, argentoque, et floribus intertextum.  
 41 Mygdonia radiabat acu. Natuque minori,  
 42 (major apud Belgas et castra, et scorta secutus,  
 43 Fortuna ancipiti famam vastabat, et urbes)  
 44 donavit phialam : Scheolacho tradit habere  
 45 cratera ingentem (quem dat Sidonia Dido.)  
 46 Quo, precor, eventu ? Sic vicit, victus ut esset.  
 47 Fregit in hac causa figulus miser omnia vasa,  
 48 ad restim, solo laqueo restante, redactus,  
 49 conturbavit opes ; distraxitque hasta forensis.
- A44 v.1 Vis jam tu Macrum, Birro, praeponere pingui ?  
 2 Illum, ut nactus, habe figens sibi basia noster  
 3 Basiolus ; non a studiis, et codice juris  
 4 noctibus assiduis versato pellet. Ab auro  
 5 hic color est : cujus nimium sitis urit habendi ;  
 6 sacra fames vero, velut iracunda Diana  
 7 depastum penitus seu morbus regius urget.  
 8 Qui non corpus habet, nec corpus juris habebit,  
 9 pro pingui praedem sistit se vultus eadem  
 10 mensura corpus juris, ventrisque saginat.
- A45 v.1 Istri Pegasides ! paulo majora canamus.  
 2 Macris ingenium ; Macris dedit ore rotundo  
 3 Musa loqui. Sane sed perniciosius horum  
 4 ingeniis nihil esse, docent tot secula ; quorum  
 5 eventus tragicos, exemplaue tristia monstrant.  
 6 Profuerat multis toto caruisse cerebro  
 7 aut quale est vitulis. Brasilo venisse macello.  
 8 Profuerat crasso Boeotos aere nasci,  
 9 quam dare tot populos in caedes, inque ruinam.  
 10 Macris perfidiam, Macris dedit ore doloso  
 11 Tisiphone funesta loqui, multisque nocere.  
 12 Publica suffultis male consiliis agitur res,  
 13 cum momenta dolus, rationem subruit astus.  
 14 Nulla salus bello. Pacem te poscimus omnes ;  
 15 exclamare Macer, reliquis obstantibus, ausit ;  
 16 subque toga celare sagum. Contrarius alter :  
 17 nulla salus paci ; bellum te poscimus omnes ;  
 18 et sub lorica nil praeter stupra, rapinas,  
 19 Pharsalicas acies, et spem gestare coronae  
 20 legitimo capiti per saltum decutiendae.
- A46 v.1 O virtus scelerata legi ! Qui suadeat arma  
 2 Turcarum in Venetas potius vertenda triremes

- 3 quam Persas ; Macilentus erit. Qui jurgia dictet,  
4 scribat sanguineos apices, nullique legendos  
5 quam nocti ; Macilentus erit. Qui foedera saxo  
6 sanciet, et porca ; minimoque haec foedera rumpet  
7 pro pretio ; Macilentus erit. Qui frangere primus  
8 ferratas Jani portas, et claustra Bohemi  
9 sustinuit ; Macilentus erat. Qui finibus Hunnos,  
10 Vandaliasque suis turmas in Teutidos oras  
11 elicuit ; Macilentus erat. Qui limite rupto  
12 devius, impegit spumantem Balthida ripis  
13 Danubii ; Macilentus erat. Qui fraude retorta  
14 lusit, et ambages castrensium in aede Senatus  
15 disposuit ; Macilentus erat. Qui dixit "ab alto  
16 diripiam nidum hunc, vinculis licet arduus aether  
17 attineat" ; Macilentus erat. Qui condidit enses,  
18 et vetuit pugnas, crescentem ut viribus hostem  
19 augetur ; Macilentus erat. Qui plurimus auro  
20 venales animas Domino subduxit, et emit,  
21 ut furerent ; Macilentus erat. Quem dira rotavit  
22 ambitio in caedes, multorum sanguine pasta  
23 innocuo ; Macilentus erat. Qui saepe triumphos,  
24 tristibus imperiis, quamvis ante ora frementes  
25 avertit ; Macilentus erat. Si plura requiras,  
26 ante diem clauso componet vesper olympo.  
27 Ite truces animae, sociate cubilia talpis ;  
28 et somnos terebrate, atque impallescite curis,  
29 ut Macies trepidet magno celebranda theatro ;  
30 et fiat pueris nova declamatio nostris.
- A47 v.1 Quod dico, dixi, dicam : plerique tyranni  
2 colla levaverunt, Lernaque nocentius ipsa  
3 ex Macie traxere caput. Trux Attila, Tereus,  
4 et quos Odrysiae cinxerunt cornua Lunae,  
5 Achmet, Amurathes, Selimus, Solymanus ; et inter  
6 Arsacidas plures, sine nomine. Nil nisi dirum  
7 vos reperire juvat. Vestra est Busiridis ara :  
8 vester bos Siculo, reboansque immane metallum.  
9 Vestri sunt Diomedis equi jumentaue taedis  
10 praecincta ; atque suum per saxa, per arva, per undas  
11 sessorem, perque et sentes raptura, rubosque.  
12 Vestra est in Tiberim proturbans scala : Scaphismus  
13 Persicus : et veteres superans Geta Geisius annos.  
14 Sub pelvi ignita mures, Chelaeque secantes  
15 ubera, dum fugiunt animalia clausa calorem.  
16 Vestra ad vastandos tormenta curulia muros,  
17 ferreae Belgarum praeacuta cuspide sellae,  
18 complexuque necans, quos stringit, aenea Virgo.  
19 Concava nodosi religantes tempora funes,  
20 palpebra secta, caput vigilans, ne somnus obumbret,  
21 Suecica distentem contorquens potio ventrem :  
22 haec sunt ingenii monumenta novissima vestri.
- A48 v.1 Tutius inventum nobis debetur asyli.  
2 Utilis inventum nobis debetur aratri.  
3 Nobis inventum pinguis debetur olivae ;  
4 uvarumque recens pressarum massicus humor.  
5 Inventum medicina meum est ; tibi, Thessala virgo,  
6 nostrum aliquis dixit : citharam qui tendit, et arcum.



- 7 Insuper (i, Batavosque breves, longosque Batavos  
8 consule ; sive breves, seu longos, consule crassos) ;  
9 emensi terras, radiis descripsimus axes,  
10 contulimus tabulas, dedimus sua nomina ventis.  
11 Mercibus externis medium patefecimus aequor,  
12 magnetisque novum nautis monstravimus usum.  
13 Charta tenax atrae lolliginis, alba papyrus,  
14 fusilis arte typus, celebris retinacula famae,  
15 ad pingues spectant nam nos invenimus ista.  
16 Et sese nobis Agathysus comparet ! Et se  
17 efferat ante alios ! Solem sua provocet umbra !
- A49 v.1 Huc refer irarum fluctus, quibus aestuat amens,  
2 atque ultrix semper Macies injuria nana  
3 vilis, iners, redolens cunas, furit ire sepulcrum ;  
4 et quodvis verbum manet alta mente repostum.  
5 Praemorsi incidunt ceris meretricibus ungues.  
6 Hippomanes, et acus, et sica, et pugio, et aspis,  
7 non sine letifera dape seponuntur in usum  
8 vindictae. Pingues odia immortalia pauci  
9 tanta fovent. Soli graciles ignoscere norunt  
10 tardius. Hic morbus quasi desperatus inhaeret  
11 ossibus ; et crebro post mortem durat in illis,  
12 exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor :  
13 ira, et amore furens, tota Carthagine, Dido  
14 clamat, et infernas ciet ad sua signa sorores.  
15 Tum primum macilenta rogum conscendit, et unum  
16 nuda pedem, misit lacrimas, hostique precata est  
17 littora littoribus contraria fluctibus undas.  
18 Quis furor est, etiam saevire, ubi causa furendi  
19 cessat ; et in rabiem leti caligine versa,  
20 ensis Dardanius mox in pulmone tepescet.
- A50 v.1 Aonias sed enim Macri sibi jure Camoenas  
2 deprecant ; Cyrrhaeque sedent in vertice dextro.  
3 Macri ! sed quibus est tantae fiducia laudis !  
4 Macri ! sola ergo producit Mantua vates !  
5 Macri ! vena micat tantum illis, quis caro desit !  
6 Scilicet Aonidum pater est macilentus Apollo !  
7 Cum divos inter non sit formosior ullus.  
8 Mensuram ad Lauri nunquam ulla cucurbita serpsit !  
9 Et teretes solum truncos hederæ circumdant !  
10 Ut nihil infirmem : contra stat Horatius omnes  
11 Pindaricos, quamvis crassa cervice, poetas ;  
12 multorumque vicem digne suppleverit unus.  
13 Velox ingenium solita lustrante lagena  
14 Provocat ; atque ipsi non cesserit arte Maroni.  
15 Detinuit nostras numerosus Horatius aures ;  
16 scripserat ex vere juratis testibus unus :  
17 quem qui contemnit, contemni dignior ipse est.  
18 Flaccus Thespiadum decus est, et gloria Phoebi ;  
19 cujus, (si qua fides) plectro crispavit eburno  
20 saepe comas. Tam magna fuit reverentia Flacci.  
21 Flacco nupserunt Erato, dulcisque Thaleia.  
22 Ad Calabros Flaccum comitati mille lepores  
23 ex Latio : facilesque loci, pureque loquendi  
24 gratia, et obliquos figens argutia nictus,  
25 caelestemque lyram pulsans Venusina venustas,

- 26 et sumptum ex mediis mellitum pondus Athenis.  
 27 Bandusiae fontem quoties bibiturus adivit ;  
 28 stiparunt affine latus gens mollis amorum  
 29 vatis in obsequium puer ante Cupido volavit.  
 30 Hausit aquas, tenuit concham, fidibusque canoris  
 31 lusuro, dedit auratum pro pectine telum  
 32 ex pharetra. Hinc illud Petroni nobile dictum.  
 33 Summa biformis olor libratum corpus in Astra  
 34 sustulit et cantu stridentia fulmina rupit.  
 35 Quo nec Virgilius, nec caecus venit Homerus.  
 36 Dic jam, dic sodes : quo jure biceps Helicon, quo  
 37 a solis Macris, solis habitatur ab Umbris ?
- A51 v.1 Non sunt ista satis plus dico : scientia nulla est,  
 2 in qua non Pingues aliqui dominantur, et orment  
 3 sublimes cathedras, Sophiaeque addicta Lycaea.  
 4 Quem dabis aequalem Thomae, qui dictus Aquinas  
 5 ore bovis muti per totum mugit orbem.  
 6 Ille nitens vultu, de carnis flore sereno  
 7 lacteus, Angelicae distendit munera formae.
- A52 v.1 Multa Agathyrsus habet nullo tibicine fulta.  
 2 An Cicero fuerit gracilis, nescire fatemur.  
 3 Firmorum laterum, constans fert fama, fuisse.  
 4 Indicio quoque fit clamata Philippica testis,  
 5 volvitur a prima quae proxima. Debilis illam,  
 6 et macer hoc plausu, tantoque absolvere gyro  
 7 nequidquam potis ullus erat. Sprevisset inanem  
 8 rhetora stipatus densis Antonius armis.  
 9 Vox igitur, viresque aderant, faucesque sonorae  
 10 quid ? Quod et in rostris cervix quae caesa pependit,  
 11 crassa fuit. Se Popilius latrone coactus  
 12 toto uti, collo caput a rorante revulsit ;  
 13 orbavitque suo patriam Patre, consule Romam.
- A53 v.1 Istri Pegasides : tandem in fera bella ruamus.  
 2 Hactenus oppositis Carnem defendimus armis.  
 3 At Caro luxuriae vacat, irritamen amoris  
 4 insani, scelerum nutrix, instructa dolosis  
 5 illecebris ; animas piscantis pellicis hamus.  
 6 Quantula res, umbram Veneri non posse litare !  
 7 Si tuus hostis abest, quale o Victoria sertum  
 8 offeret ! In placidum facile est dare linthea pontum,  
 9 sed spirante Noto, quando fuit aestus arenis,  
 10 terram inter fluctus aperit : rotat aequora vortex ;  
 11 Astraque tacturi montes volvuntur aquarum ;  
 12 in latus obliquum remis avertere proram,  
 13 perlambique salum, portumque intrare Sicanum :  
 14 hic labor, hoc opus est. Castum laudaveris illum  
 15 rectius : in medio qui non amburitur igni ;  
 16 seque domat, carnemque suam, stimulosque retundit.
- A54 v.1 Quamquam si fas est a fonte arcessere causam,  
 2 quid Caro culpatur ? Tamen ossibus implicat ignem,  
 3 ossibus haeret Amor. Fomes, puto, causa malorum est.  
 4 Invenies fibris, si quaeris, in omnibus illum.  
 5 Tutus ab hoc nemo est, pomumque voravimus omnes.  
 6 Pinguis, sive macer, fato damnantur eodem,

7       condicione pares. Aequum est certamen utrique  
8       pugnandum : neutri licet hoc cessare sub hoste.  
9       Tros, Rutulusve fuat, nullo discrimine agetur.  
10      Trossulus ex rutilo ne fias, ipse caveto.  
11      Aula non melior caula est : nec eremus ab urbe  
12      distat. Ubique faces, et non sine cote sagittae.  
13      Vexat nativi jecur intestina mali vis.

A55    v.1     Audio cum lacrimis gemitus in montibus altis.  
2       Speluncae resonant, ubi sunt Aegyptia tesqua.  
3       Infelix ego homo, quis me de corpore mortis  
4       hujus, et innato Babylonis liberet aestu ?  
5       Ille Palaestinis inclusus Dalmata silvis,  
6       inter echidnarum foetus, viridesque lacertas,  
7       circum- membra -datus vili deformia sacco,  
8       jejunans, exsanguis, inops, callosaque duris  
9       terga secans flagris, allidens pectora saxo ;  
10      saepe videbatur sibi, dum saeviret Erynnis  
11      Cypria, saltantes Romae spectare puellas.  
12      Indue lorica, cataphractus subice setas ;  
13      sterne solo corpus ; stratum concide flagellis ;  
14      extenua, sic ut spectari et viscera possint,  
15      si tamen incipiat mens emollita rigorem  
16      ponere, nec pugnet, vitioque ignava resistat ;  
17      Matris Acidaliae cadet hostia turpis ad aram.  
18      Virtutes animo, non exterioribus insunt,  
19      praecipuae membris. Animo castissimus esto :  
20      et nihil abdomen crassum, nil perna nocebit  
21      nupta Mosellano, quamvis pinguissima Baccho.  
22      Mens innixa Deo, corpus, licet, obstet obesum ;  
23      per Paphias acies, formosaque monstra Erycinae,  
24      Thaidas, atque Helenas, Cleopatras, atque Corinnas,  
25      aligerique faces pueri tutissima transit.  
26      Suaviter hic equitat, caeli quem Gratia portat.  
27      Non certum est illi plures insidere macros.  
28      Noster apud nudos degens Xaverius Indos,  
29      tam succi plenum, quam castum corpus habebat.  
30      Lucida vibravit generoso sanguine vena,  
31      et Navarraeum candenti prodidit ore.

A56    v.1     Quondam etiam vati proferre arcana licebit.  
2       Tutior a stimulis quandoque est pinguior ante  
3       non pinguem. Calet hic defectu humoris, et aret ;  
4       quoque magis Macer est, tanto vehementius ignem,  
5       concipit, utque vetus multo lita sulphure taeda,  
6       primo transfumat, dein tota incendia spargit.  
7       Sicca silex : attrita tamen scintillat, et ardet.  
8       Non ego te jubeam calidas incendere vino  
9       indomito venas ; oleumque affundere flammae.  
10      Sed neque te, quoties sitis inclementior urit ;  
11      vel cum turbatam pulsant phantasmata mentem :  
12      sibilat Eva parens, Stygiusque assibilat anguis.  
13      Indulgere vetem latici, modicoque Lyaeo.  
14      Crede mihi non sola ferunt jejunia palmam.  
15      Saepe voluptates inhonestas vicit honesta,  
16      et clavum clavo pepulit permissa voluptas.  
17      Scribe, lege ; aut canta ; clamat non nemo peritus  
18      sacris ex adytis. Haec delectatio victrix

- 19 dicitur : ascetis quoque non incognita priscis.  
 20 Qua sine, ni Virtus mentem domet, atque refrenet ;  
 21 irruet in foedos exsuccus torris amores,  
 22 Thestiadis stipes, bustum fatale, futurus.  
 23 Plura tibi dicet vates, qui laudem Atalantae,  
 24 et venatoris fatum cecinit Meleagri.  
 25 Si recte memini : quam sponsus, sponsaque taedam  
 26 gestabant olim, semper fuit arida pinus.  
 27 Arida suscipiunt Paphiam ramenta favillam.
- A57 v.1 Cyprigenae germen siccissima littora, siccos  
 2 myrtus amat colles. Illam decerpente Macri ;  
 3 vester enim flos est. Veneri debetur origo.  
 4 Siccus inferno nihil est Jove ; propterea arsit  
 5 invitam Cereris natam. Proserpina raptata est.  
 6 Et quasi non plures myrtum carpsisse legantur  
 7 confecti macie ! Sexus testatur uterque.  
 8 Phoenissa in primis Phrygio decepta marito,  
 9 sanguineam volvens aciem, maculisque trementes  
 10 interfusa genas, et pallida morte futura.  
 11 Phaedraque, et Evadne, Procrisque, et Laodameia,  
 12 et Cauci Biblis, Cyniraeque miserrima proles,  
 13 Hypsipyleque gemens, et plorans Thracia Phyllis ;  
 14 Leanderque natans, Iphisque in limine pendens,  
 15 quos quia durus amor crudeli tabe peredit  
 16 inclusos campo lugenti, teste Marone,  
 17 myrtea adhuc circum tegit hoc quoque tempore silva.  
 18 Ad summam : lustra, totumque inquire per orbem.  
 19 Ut nix candidior Borealibus incidit oris,  
 20 perque annum ferme totum diuturnior haeret,  
 21 sic nivibus castis impurum mitigat aestum,  
 22 et Veneris taedas Riphaeis montibus arcet.  
 23 Fert plaga virgineum constantius alba colorem :  
 24 Afer, Arabs, nigro vultuque, et pectore flagrant.  
 25 Torret Amor fibras. Ubi regnat torrida zona ;  
 26 raris zona manet sua non resoluta puellis  
 27 ante torum. Praecox omnes ferus incitat ardor.  
 28 Castior Europe est medium transvecta per aequor,  
 29 illis nempe locis, ubi frigore pingua degunt  
 30 corpora ; et explorans Rhenus, si vera Vetustas,  
 31 maternos patrio lustravit gurgite partus.
- A58 v.1 Atqui Lutherum genuit Germania pinguem !  
 2 Calvinum, regero, produxit Gallia macrum !  
 3 Dic : uter est pejor ? Certent pro crimine monstra ;  
 4 sitque haec ambitio nova, nullis cognita saeculis ;  
 5 invidiam Furiarum imo passura sub Orco.
- A59 v.1 De ventre Islebico sic sentio. Totus erat Sus,  
 2 inque volutabris a calce lutosus ad aures  
 3 factus, ab infami Sybarita libidine putris.  
 4 Non potuit peccare minus, cui tot salis atri  
 5 infudit modios Acheronticus histrio : totque  
 6 insumpsit noctes habitans simul. Hunc ego Fatis,  
 7 imputo, vel brutis ; sed brutis verius inquam.  
 8 Errantem Veneris stellam Lutherus in ore  
 9 fixam, animoque gerens, morbi tormenta sui clam  
 10 non habuit. Manibus pedibus, factisque, librisque.

- 11 Vultu ipso confessus erat. Quid jam petis ultra ?  
 12 Hoc saltem ingenuus, quod nil absconderet unguis  
 13 porcini, rostrique nihil Calydonius heros.  
 14 Ille etiam Circen in se mutasset amore,  
 15 ne dum Saxonibus indutum Elpenora setis.  
 16 Da similem pietate Sophum, qui centum Epicuros  
 17 et tot Aristippos in pectore condidit uno.  
 18 Sordibus ex ipsa sumptis Phlegethontide ripa  
 19 (prodigii species) Alemannum polluit orbem.  
 20 Talia non miror talem ructasse Priapum.  
 21 Mirandum est, potuisse dari rationis ab usu  
 22 dejectos nondum omnino, proceresque, ducesque,  
 23 qui sequerentur haram ; spretaque siligine glandes,  
 24 et siliquas, quales miser, atque famelicus edit  
 25 filius, accepti decoctor prodigus assis.  
 26 Proelia taurorum pro uxoribus, atque petulcos  
 27 mugitus ; et quae dictat lascivia cervis,  
 28 mollibus in nugis reputes fuit hic aliquid plus  
 29 quam Cynicus, nudoque canis sub fornice ludens.
- A60 v.1 Hic igitur nocuit : quis enim nocuisse negabit  
 2 publica figentem scelerum monumenta ? Sed utrum  
 3 pejorem censes ? Calvinus castior, inquis.  
 4 Hoc et ego fateor. Sed quanta superbia casti !  
 5 Ut se Parthenium probet, atque hoc nomine dignum ;  
 6 nescio, quem ob fastum, communi a more recedit.  
 7 Namque alii manibus candentia lilia gestant :  
 8 Gallus hic in tergo flores portavit inusto,  
 9 quales Aetna parit ; sed paullo ardentior infra,  
 10 Claudus ubi deus, et Brontes, steropesque laborant.  
 11 Ut meritum presso signarent stigmatum dorsum.  
 12 Spissior obscaenis debetur flamma cinaedis.
- A61 v.1 Sed quid ego haec memorans crinitum comparo Calvo ?  
 2 An non Luthero pejor fuit Arrius, atque  
 3 Nestorius, sicci vetulis prae caulibus ambo !  
 4 Non Carolstadius, non nostri dedecus aevi  
 5 Zwinglius ! Atque ipso nigrior carbone Melanchthon !  
 6 Ultimus hic adeo squallens, ut praeter haberet  
 7 ossa nihil. Cisum post restim ex cannabe torta  
 8 fugisse a furca, delapso fune, putasses.  
 9 Hic tamen acer erat Romani nominis hostis,  
 10 et quia non asinus rudis, omni carcere pejor.  
 11 Hic etiam Graio potuit rudere ore diserte.
- A62 v.1 Urgeor ad teretis Calvinii scita redire.  
 2 Tu simplex, quamvis crasso sis corpore duplex,  
 3 an simplex Martine vale ; cui vel furor ipse  
 4 dat veniam : modo si veniam tibi et ipse dedisses  
 5 Augustae ; praesens ubi purpura Caietani  
 6 exhortantis erat, sed tunc coepisti perire  
 7 lurco ! Soloecismum hic liceat fecisse poetae.  
 8 Totum argumentum Lutheri, nil nisi foetens  
 9 hircus erat, tragiceque salax ; hircisque scatebat.
- A63 v.1 Pandite nunc Heliconae Deae, cantusque movete.  
 2 Calvinum excutimus, quo non macilentior ulla  
 3 Ardea ; vel vincens cursu venaticus auras

4 vertagus, haesurus praedae cervice fugacis.  
 5 Per fas, atque nefas, hic omni ex ubere suxit  
 6 Eumenidum, quidquid potuit sorbere veneni.  
 7 Alecto indoluit sceleratum cernere victa.  
 8 Aemula sunt inter Furias quoque semina laudis.  
 9 Praemia distribuunt, anguemque ex crine rependunt.  
 10 Verbo Calvinus bipedum nequissimus uno  
 11 expulit orbe Deum ; Fato concessit habenas ;  
 12 sustulit arbitrium mentis, quod libera poscit.  
 13 Irrisit superos, reperitque in Numine culpam ;  
 14 progenuit colubros ex sanguine Machiavelli ;  
 15 extinxitque animas. Sed non extinguitur auctor  
 16 extinguentis eas. Vivo jam sulphure fumat.  
 17 Ex ejus scitis (debebam dicere technis)  
 18 quid didicit, quid non docuit mala posteritas ! Et  
 19 quinque, sed et centum Tragicos deduxit in Actus,  
 20 nulla legitimi servata lege cothurni.  
 21 Belle puer recita, quid dixit Beza Genevae !  
 22 Vulpe leoninam pellem velare dolosa,  
 23 vel contra : (dolus an virtus, quis in hoste requirat ! )  
 24 Moliri fraudes : candelam apponere valvis.  
 25 Oscula per galeam subductis figere labris ;  
 26 pacem orare manu praefigere puppibus arma.  
 27 Mantiri trabibus fractis, evertere templa ;  
 28 aras, atque focos una difflare favilla ;  
 29 sternere adulteriis thalamos, totumque cubile,  
 30 ceu plumis, ceu mille rosis ; condire nocentes  
 31 boletos, fungosque favis ; aconita parare  
 32 rReginis gravidis, insontes tollere ferro ;  
 33 impositos trunco sine more occidere reges ;  
 34 sistere vagitum, perfundere sanguine cunas ;  
 35 Atrea, et ex orco diras revocare Mycenae,  
 36 et quidquid Thebis gestum est ; jam ludus habetur.  
 37 Sufficit. Egregie Calvinus dogmata calles.  
 38 Si potes, illorum prius obliviscere, quam nox  
 39 appetat. Haec pretio majore obliviam constant.  
 40 Ex his sic liceat decidere. Flagitiosus,  
 41 atque macer nebulo nebulonem vicit obesum.  
 42 Lutherus, spurcae frustum miserabile Carnis,  
 43 unum totus erat Veneris quasi vulnus, et ulcus.  
 44 Quam propter scabiem stagna in Cocytia mersus  
 45 uritur infelix, et spumam lambit Averni.  
 46 Calvinus cruciatur, ubi Titania pubes,  
 47 fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.

A64 v.1 Non igitur semper Probitas, et pallor in unum  
 2 conveniunt. Turpes saepe et peccata cavernas  
 3 vultibus inducunt ; animamque infixam flagellant.  
 4 Unde venit luror. Vitio dominante Juventa  
 5 destruitur. Virtus floret vel anilibus annis,  
 6 bisque novem post lustra valens et Sara decora est.  
 7 Quid magis accelerat rugas, quam femina praeceps,  
 8 supplantansque viros, et non satianda Cupido,  
 9 sive voluptatum, quaerendi sive sit auri ?  
 10 Quid curas hominum, miserum quid distrahit Orbem,  
 11 quam Venus, et fenus ? Properant ad Fata scelesti.  
 12 Mature proprio canescunt crimina probro.  
 13 Qui matrum thalamos macularunt, quique cruore

14 fraterno lavere manus, lavere paterno ;  
 15 post tetrum facinus pede pulsavere novercam,  
 16 pupillum nido, viduam ejecere grabato,  
 17 prodiderunt urbes, sparsere incendia tectis ;  
 18 Autolyçi, Oedipodes, diri, incestique Thyestae  
 19 incedunt vultu collapsò ; ut Naevius olim  
 20 post scelus admissum, quod jam tibi prodere nolo ;  
 21 tristis ut amissa Crepereius Pollio gemma.  
 22 Horum te facies altam cecidisse videbis  
 23 in foveam, et longos per malas ducere sulcos.

A65 v.1 Jam labor in fine est. Metam sistamus ad istam.  
 2 More aurigarum tamen ultima flagra moventum,  
 3 signa dabo scutica, toto resonantia Circo.  
 4 Emeritos tum fessus equos, bigaque resolvam ;  
 5 hordeaque affundens stabula in Phoebaea reducam.  
 6 Si recte Pinguem, si recte examino Macrum :  
 7 ille, velut magnarum aquilarum ex grandibus una,  
 8 quam vates alto revolantem ex culmine vidit,  
 9 remigio alarum ingenti, longo membrorum  
 10 ductu, et plumarum mirabilis ordine ; post, quam  
 11 ad Libanum venit, cedri tulit inde medullam.  
 12 Iste, velut tectis haerens brumalis hirundo,  
 13 seminecemque trahens vitam. Miserabile visu.  
 14 Hic, velut ex septem, Pharao quos vidit obesos,  
 15 stantibus in ripa fruticante Trionibus unus.  
 16 Pulchri omnes amnem carpebant pascua circum.  
 17 Plena toris cervix, palearia pendula terrae  
 18 vicina : ingentes peragebant cornua gyros.  
 19 Atque ideo semet spatiosa mole ferentes.  
 20 Grata soporifero dederunt spectacula regi.  
 21 Iste, velut septem de macris bubus, eodem  
 22 a rege Aegypti per turbida somnia visis.  
 23 Extabant hirtis deformia pellibus ossa.  
 24 Ora fame fissi meliora armenta vorabant,  
 25 tanto deterius scabri. Miserabile visu.  
 26 Ille, velut septem spicarum culmus in agro  
 27 ubere praepinguis, multoque impletus Osiri,  
 28 et Nilo stagnante. Oculis fecunda voluptas.  
 29 Iste, velut septem spicarum culmus inanis,  
 30 opprobrium Cereris, Scythici convallibus Aemi  
 31 dignior. Ipsa Fames refugit. Miserabile visu.  
 32 Ille, Therapnaeus veluti pugil et satus ovo ;  
 33 si forte ad luctam patrio de more palaestra  
 34 exposuit juvenem : simul ac rejecit amictum,  
 35 exuiturque Lacon ; spectantes pascit aperta  
 36 laetitia membrorum. Oleo perfunditur artus :  
 37 in medio pulcher cerni, pulcherque timeri  
 38 stat nudus Pollux, ipsa formosus in ira.  
 39 Iste, velut quamquam reliquos est vertice supra,  
 40 terribili squallore Charon. Odiosus et asper,  
 41 illum horrent vivi, cymbamque, et flumen opacum.  
 42 Illum horrent umbrae stantes in margine ripae,  
 43 illuvie, et Lethe madidum. Miserabile visu.  
 44 Ille, velut riguo pulcherrima malus in horto,  
 45 germinat indulgens spacio, frondesque gravatas  
 46 explicat, et saturo lucentia poma rubore  
 47 permiscet ; Dryadum decus, ornaturque tabellis.

48 Iste, velut ficus, sacris quae percita diris  
 49 caesariem posuit foliorum, et facta repente  
 50 calva, stupet nervis. Omni caret arida succo.  
 51 Viscera letalis penetravit in ima November.  
 52 Ut jam nec fatuos promittat cortice fructus.  
 53 Nulli illam pueri, nullae optavere puellae.  
 54 Irridet frondosa Soror. Miserabile visu.  
 55 Hujus in aspectu mihi conspicienda triremis  
 56 offertur : qualis sub verni temporis auram  
 57 per mare procedit Venetum. Praetoria puppis,  
 58 summus ubi dux ipse sedet, majorque Senatus.  
 59 Fulgurat ex auro ; laterumque cubilia fulgent ;  
 60 transtraque, et in proram sectum nemus usque relucet.  
 61 Pulchra maris facies : porrectum scinditur aequor  
 62 remorum aequali versu, mollesque per undas  
 63 nat Bucentauros ; lustraturque Adria late ;  
 64 et sibi desponsam Tethyn ducis annulus ambit.  
 65 Interea resonant citharae, conchaeque, tubaeque.  
 66 Caerula per totum subsultant gaudia pontum,  
 67 seque ostentantes sertis Nereides ornant.  
 68 At Macro viso, tamquam spoliata magistro  
 69 navis, et antennis, et funibus  
 70 occurrit. Nullae luctantur marmore tonsae :  
 71 cuncta abrupta ;  
 72 nullaque concipiunt optatos carbasa flatus.  
 73 Vela tremunt lacera :  
 74 obruit ira Jovis percussam, et ventus, et imber,  
 75 et furor, et rapidus turbo. Miserabile visu.  
 76 Ille stat, ut spoliis arbor onerata Gigantum,  
 77 quos in Phlegraeis straverunt fulmina campis.  
 78 Non electa fuit plebei stipitis arbor :  
 79 sed quercus dilecta Jovi. Titania pendent  
 80 undique, et ante omnes exuti Aegaeonis arma.  
 81 Et jam numen habet senio venerabile robur.  
 82 Fulget in umbrosis Divum Victoria ramis.  
 83 Iste, velut sterilis calamus, vel arundo palustris,  
 84 in nullos usus ; vento turbatur ab omni.  
 85 Qui se sustineat juncus ? Miserabile visu.  
 86 Cum video pinguem, mihi se quasi Roma triumphans  
 87 ingerit, augusta specie, vultuque decoro ;  
 88 qualis erat, currus victis cum regibus egit  
 89 quadrijugos, velata comas Parnasside lauro.  
 90 Tota urbs in laeto fremitu. Procul omnis egestas.  
 91 Luxus ubique tumens, et plurima Solis imago.  
 92 Miles io miles, populus clamabat, et Evan.  
 93 At Macer a Sueco combusti milite pagi  
 94 ore refert speciem ; cujus domus integra nulla est ;  
 95 aut, quae mansit, hiat, vel nutat, et oblita fumo  
 96 ringitur ; obtritis fornacibus atque fenestris ;  
 97 omniaque horrorem spirant. Miserabile visu.

A66 v.1 Quo ruimus ? Tantaene aegris mortalibus irae !  
 2 Exiguo tanti fervent in pulvere fastus !  
 3 Cur, Macer et Pinguis, vestros colliditis artus ?  
 4 Neuter habet, quo se jactet, tollatque superbe.  
 5 Ambo estis fragiles, propereque fatiscitis ambo.  
 6 Ossa, et adeps pereunt. Hic diffluet, ista crepabunt.  
 7 Exspectate diem Mundi in declive ruentis



8 extremum. Ardebit, dissolveturque per ignem ;  
 9 tunc tuba terribili quatiet clangore sepulcra,  
 10 eque suis Manes tumulis ad iudicis Arcum,  
 11 fatalemque urnam, nullo remorante, citabit.  
 12 Intonat. Arcanae subito tremuere cavernae,  
 13 et gravida Tellus sua pignora parturit alvo.  
 14 Terrigenae surgunt, tolluntque ad sidera vultus :  
 15 sidera decisis, sine lumine moesta capillis,  
 16 sidera confuso rorantia sanguinis imbri.  
 17 Quamquam omnes surgent ; non immutabitur omnis.  
 18 Nemo macer, nemo rapietur in aera pinguis  
 19 obvius in nubes Christo. Gratissima namque  
 20 temperies raptos tamquam medicamine sacro  
 21 imbuet, aeternos et conservabit in annos.  
 22 Corpora tunc Divum candore rubentia misto  
 23 pulchra reviviscent, viridique aetate decora,  
 24 ut si ebur Oebalio radiarum infeceris ostro.  
 25 Ossa Beatorum florebunt, germinis instar,  
 26 quod radix, sua mater alit, succumque ministrat  
 27 perpetuum. Vincent fragrantia balsama odore.  
 28 Quod decus oris erit ! Dulcis quae gratia formae !  
 29 Quam nitidi dentes ! Roseis quae purpura labris  
 30 fulgebit ! Quales oculi ! Quae lumina gemmae !  
 31 Colla nives, violae crines, et lilia palmae,  
 32 palmarumque comae stantes in vertice sacro.  
 33 Quid septem soles stipatos corpus in unum  
 34 commemorem, immensum late jubar effusuros ?  
 35 Sub pedibus calcant Letum : membra omnia vivam  
 36 spirant laetitiam, nullis obnoxia flammis.  
 37 Quisque suum corpus poterit vibrare per auras  
 38 ocior et ventis, et fulminis ocior alis.  
 39 Utque vagi volitant, apices per arundinis, ignes ;  
 40 utque per aetheros discurrent fulgura campos.  
 41 Nil obstare potest : nihil impenetrabile. Centum  
 42 marmoreos postes, et ahenea moenia rumpent.  
 43 Per solidumque adamanta, velut levis aura, meabunt  
 44 subtiles. Tanti est posse has virtute mereri  
 45 quatuor insignes praestanti in corpore dotes.

A67 v.1 Haec ad Danubium : quo primum vidimus anno,  
 2 templum instaurari fecunda a Virgine ductum  
 3 nomen habens ; qua celsa Nova caput erigit arcis  
 4 Aula Palatini clivo subnixa Philippi.  
 5 Accessere novae (sileat miracula Memphis)  
 6 Pyramides duplex lino confecta sub auras,  
 7 verticeque intrepido sursum capita ardua tollit.  
 8 (Marmora quid prosunt ? ) Stat carbasus, inque figuram  
 9 ignis apex Pharii surgit : mirabile visu.  
 10 Ridet, et armatas hyemes, et provocat Austros ;  
 11 nec nisi cum lapso pannus lacerabitur Orbe.  
 12 Commune hoc Fatum est. Equidem terrestria nullo  
 13 Stant segura loco ; casumque infirma minantur.  
 14 Aedes, navis, homo, [magis autem femina] pontes.  
 15 Semper egent refici : ne tota ruina sequatur.  
 16 Sed neque et ista juvant. Omnes tam certa manet mors,  
 17 quam non certa dies ; saltem non nota. Quis augur  
 18 ipse suae necis est ? Tecum, quem vixeris, annus  
 19 in terra fuit. At quos vives, calle reducti

20 secreto, obscurum caput inter nubila condunt.  
21 Praeteritos possis, sed non spectare futuros.  
22 Sunt positae inter se spaciis aequalibus Horae ;  
23 at tibi inaequales. Hac est felicior illa,  
24 illa, vel illa, tua est ; quae sit tamen ultima, nescis.  
25 Una quidem praefixa tibi est ; ex omnibus unam  
26 divinare potes, dum non sit in omnibus una.  
27 Quam minime reris supremam, pertinet ad te.  
28 Ergo para fortes animos, et ad ultima tendens  
29 arripe venturam mortem ; meritasque nocentis  
30 naturae tenebras oculis nictantibus hauri.  
31 Ultima meta mori. Scopus est communis. Ab isto  
32 excipitur nemo. Respirans huc tua torques  
33 spicula : projecto vitali flamine, tangis.  
34 Sic, quibus exorimur Fatis, occumbimus iisdem.  
35 Ex cinere in cineres, alterna sorte, redimus.  
36 Nil manet, ut maneat, fugientibus utere donis,  
37 dum potes, et scito, fluxam te vivere vitam.  
38 Unda fluit, refluit nunquam. Praetermeat Ister :  
39 nosque ejus sequimur, torrentis more, meatum.  
40 Tendimus in fossam tandem, et dilabimur omnes  
41 in mare, sicut aquae. Pingues, Macrique sodales,  
42 Pieridumque chorus, Musae, Charitesque venustae,  
43 insontesque joci, Satyri, Satyraeque valete.